Pe. Luiz Müller, S. J.

PSYCHOLOGIA SPECULATIVA

EDITORA La Salle

1952

P. Luiz Müller, S. J.

Psychologia Speculativa

Ad usum privatum

In Seminario Centrali Leopoldensi

1952

Cum licentia Superiorum

INTRODUCTIO

Definitio: Psychologia est scientia de homine ex rationibus alterioribus naturali lumine comparata. — **Explico:** — 1) — «Scientia»: — I. e. cognitio certa ex causis. — Theses huius tractatus magna ex parte gaudent certitudine vera et absoluta; — ideoque recte vocatur scientia. — 2) «de homine»: — In ipso vocabulo graeco attenditur tantummodo ad animam, utpote partem principaliorem; nihilominus etiam corpus intrat in quaestione, uti evidenter patet. — 3) — «ex rationibus alterioribus»: — His verbis Psychologia differt ab omnibus illis disciplinis, qui quidem etiam agunt de homine, sed non nisi ex rationibus magis secundariis et obviis. Tales disciplinae sunt v. gr.: Somatologia, Anthropologia, Anatomia, scientia Medicinalis et Chirurgica, etc. — 4) — «naturali lumine comparata»: — His verbis Psycologia opponitur aliquibus tractatibus Dogmaticis, in quibus etiam est quaestio de homine, sed non nisi ex «Lumine Revelationis». — Tales tractatus sunt v. gr.: De DEO CREANTE et ELEVANTE»; — «De NOVISSIMIS», etc.

Divisio: — Psychologia dividitur in partem SPECULATIVAM et in partem EMPIRICAM, quae etiam vocatur «experimentalis» vel etiam «practica». Utraque Psychologia (i. e. theoretica et practica) iterum subdividitur in Psychologiam SENSITIVAM et RATIONALEM. — Ideo, non debemus confundere Psych. «speculativam» cum Psych. «rationali», neque «empiricam» cum sensitiva», uti ex divisione clare patet. Nihilominus non raro inveniri solet talis confusio in certis libris modernis.

Nota: .Nos in sequenti tractatu agimus non de Psychologia Empirica, sed te Speculativa, et quidem in parte I.ª de sensitiva et Parte II.ª de RATIONALI, quae agit de INTELLECTU, de VOLUNTATE et finaliter de ipsa ANIMA.

Animalia superiora sunt illa quae habent omnes facultates sensitivas.

Psychologia Speculativa Sensitiva.

THESIS I. Animalia bruta facultate sentiendi praedita sunt.

St. Q.: 1) Adhuc non possumus dare Definitionem (animalium brutorum), quia praecise hoc in Thesi probandum erit, i. e. id, quod postea in Def. affirmatur.

2) Loquimur de illis entibus viventibus, quae vulgo vocantur «Animalia» (v. gr.: Equus, asinus, volatilia, pisces, apes etc.)

3) Non dicimus, omnia animalia bruta omnem et perfectam sensationem manifestare. Si ostendi potest, saltem aliquam sensationem inveniri, tunc sufficit pro Thesi.

4) In Thesi non est quaestio facti, sed tt. quaesti **juris,** i. e. non quaeritur, utrum hoc vel illud ens vivum sit planta vel animal (Nam, hoc jam pertinet ad Zoologiam), sed dicimus: Si in aliquo ente aliquod vetsigium (etsi forte minimum) verae sensationis invenitur, tunc eo ipso erit verum animal brutum et non jam planta; altera ex parte, eo ipso, quod prorsus nullum vestigium verae sensationis inveniri poterit, eo ipso non erit animal, sed tt. planta, etsiamsi forte fuerit magna apparentia externa alicuius animalis bruti.

animal sensitivum

planta vegetativa

Adversarii:

1) **Veteres:** Pereira, Cartesius, etc. Non admittunt medium inter Spiritum et materiam, ideo negant Principium Vitale in animalibus brutis et in plantis. Omnia phenomina et omnes operationes vitales (in plantis et in brutis) mere mechanice explicare volunt. (cf. Thes. XVI et XVII ex Cosmologia.) Dicunt partes calidissimas migrare de sanguine in ipsum cerebrum.

2) **Recentiores:** Bohn, Loeb, Beht, etc... admittunt Thesim nostram quoad animalia perfectiora, sed quoad Infusoria, apes, formicas, etc. putant Thesim nostram non valere. **Cur?** Dicunt in illis non inveniri posse ne quidem vestigium alicuius experientiae sensitivae. **Resp.:** .1) Nego, Experientiam esse unicum vel signum necessarium Sensationis; — 2) Nego, talem v. gr. in formicis non inveniri. Ipse **P. Wasmann S. J.** contrarium optime et peremptorie probavit in suis operibus.

Argumentum: (Ex Analogia cum Homine.)

Homo certissime sentit, quod constat criteriis certissimis. ATQUI: Prorsus eadem Criteria inveniuntur, saltem in multis Animalibus brutis. ERGO: Animalia bruta sentire possunt. (i. e. facultate sentiendi praedita sunt.)

Ad Mai:

1) Homo manifeste **habet** certa et determinata organa, (v. gr. oculos, aures, etc.), cum certa et determinata constructione physica et chimica (cf. v. gr. Retina, etc.)

2) **Utitur** illis in certis et determinatis adjunctis, et quidem modo prorsus determinato. (v. gr. percipiendo colores, audiendo sonos, etc.)

3) Percipit **dolores** (internos et externos, etc...)

4) Appetit **grata** et fugit ingrata. (cf. v. gr. infantuli, etc,)

5) Percipit **proportionem** inter diversas partes; (v. gr. parvuli sensitive percipere vel cognoscere possunt matrem.)

6) Discit **Experientia.** (quod est factum plane notum jam quoad ipsos parvulos) Atqui: Haec omnia sunt signa vel criteria certissima sensationis; Ergo: Homo certo sentit, et sic clare probata est MAIOR.

Ad min.: Est evidens. Nam prorsus eadem criteria et signa inveniuntur in animalibus brutis, scilicet:

1) Habent eadem organa, et saepe perfectiora (cf. oculi canis)

2) Eodem modo illis utuntur sicut homines.

3) Clare sentiunt dolores (ideo: clamantes et ululantes, etc.)

4) Appetunt grata, fugiunt ingrata. (El. **principale** in illis)

5) Percipiunt proportionem. (v. gr. canis ex simplici aspectu statim cognoscit dominum suum, quod esset plane impossibile, si non perciperet proportionem inter ipsas partes faciei.), immo,, saepe modo perfectiori, quam homo.

6) Utuntur sua propria Experientia, sive grata, sive ingrata. (Ideo canis statim fugit baculum, non propter aliquam perceptionem forte innatam, sed unice propter tristes experientias cum illo baculo.)

Corollarium: Ideo, eo ipso, quo saltem vestigium talis activitatis (sensitivae) inveniri potest, tunc eo ipso debemus dicere, illud ens esse animal brutum, et non tt. aliquam plantam. In casu contrario debemus dicere, esse tt. aliquam plantam non obstantibus apparentiis quibuscumque contrariis. **NB:** Possumus etiam argumentari e praesentia substantiae **nervosae**, quae (teste Biologia moderna) numquam inveniri potest in plantis, sed tt. in brutis. Idem valet quoad substantiam muscularem.

Scholium: ...As diferenças **biológicas** entre as plantas e os animais: 1) **Celulose;** A célula vegetal possue sempre celulose, a do animal por sua vez nunca será revestida de celulose. 2) **Clorofila:** (nunca nos animais, sempre porém nas plantas) Obj.: Tb. se acha às vêzes nos animais? Resp.: Só aparentemente. 3) **Nutrição:** Nas plantas absorve-se anidrido, carbônico, eliminando-se oxigênio. Nos animais pelo contrário, absorve-se oxigênio, eliminando-se por sua vez anidrido carbônico. 4) Diferença quanto à **comida:** A planta precisa de matérias puramente minerais e de energia solar. O animal por sua vez precisa além disso de substância orgânica, senão seria impossível a sua atividade e existência vegetativa. **NB:** O que toca a irritabilidade e os movimentos, não se pode pròpriamente falar de elementos distintivos entre plantas e animais.

Nota: O que toca a **Célula,** nos pode interessar o seguinte:

1) O homem adulto possue uns 100 quadrilhões de células vivas no organismo inteiro. (NB: Há plantas e animais de uma só célula **«Protófitas»,** respective **«Protozoários»)**

2) Estas células são de diversíssimas dimensões. Sendo um «Mikron» a milésima parte de um milímetro, segue-se que por exemplo a célula glangliar tenha uma dimensão de 130 «Mikrons». Há células com apenas 5 «Mikrons».

THESIS II. Plantae Sensibilitate carent.

ST. Q.: 1) Id quod affirmavimus in Thesi praecedenti de animalibus brutis, hoc omnino negandum erit relate ad plantas, quantumvis perfectas in suo ordine.

Utique, interdum observari videntur phenomina valde similia ac in brutis. Sed erit similitudo tt. apparens. Non sunt veri «Motus spontanei» in plantis, sed tt. «Motus reflexi» et hoc tt. sensu aliquo latiori, quia deest substantia nervosa et muscularis.

2) **Nota:** Quo imperfectius aliquod ens vivens, eo perfectior erit sua facultas sibi propria et essentialis. (i. e. in suo ordine) Ita v. gr. sensatio in animalibus superioribus modo perfectiori inveniri solet in genere, ac in homine. Ita etiam certi motus reflexi in plantis modo perfectiori inveniri solent, ac in brutis. (cf. «Heliotropia», etc.)

3) Iterum accurate distingui debet inter Q. **juris** et Q. **facti.** (cf. Thes. I.)

Adversarii: 1) **Veteres**: v. gr. Empedocles, Plato, Manichaei, etc. 2) **Recentiores:** v. gr. Hartmann, Schoppenhauer, Paulsen, etc.; 3) **Moderni:** v. gr. **Haberlandt,** et alii, qui dicunt, in certis plantis inveniri posse certa et determinata organa, quibus plantae perciperent lucem, gravitatem, etc.

Nota: Adversarii in Thesi I peccant per defectum, illi ex Thesi II per **excessum.**

Arg. 1. Si plantae haberent sensationem, tunc adessent signa vel criteria certa. **Atqui:** De facto nulla talia inveniri possunt in plantis. **Ergo:** Pl. sensibilitate carent

Ad min. 1) (negative) Ipsi Adversarii nihil probant. 2) (positive) «TROPISMUS» perfecte explicari potest sine

ulla sensatione admissa. — NB: «TROPISMUS» = Facultas adaptandi organa (vegetativa) ad certos influxus externos. Sic loquuntur de «HELIOTROPISMO», de «GEOTROPISMO», etc. — Nam talia phenomina nullam prorsus cognitionem praesupponunt. Secus digestio, circulatio sanguinis, et aliae functiones in homine et in brutis essent prorsus impossibiles, quia aeque bene sine ulla cognitione fiunt, uti functiones Tropismi in plantis.

Arg. 2. Omnis sensatio supponit **Systema nervosum,** uti clare elucet ex Biologia moderna. **Atqui:** In plantis nullum vestigium Systematis nervosi inveniri potest, non obstantibus quibuscumque conatibus Adversariorum. **Ergo:** . . . Thesis.

Corollarium: P. Fröbes affert primum Argumentum ex eo, quod plantae nulla tali facultate indigent. Dicit ita: «Nulla facultas altior admittenda, si effectus viribus inferioribus attribui potest. . .» — **NOS:** Sine dubio, est bona confirmatio aliqua. Nihilominus, multi Scholastici nolunt admittere hanc argumentationem. NB.: Neque ipse Auctor eam ponere vult tq. arg. peremptorium.

THESIS III. Animalia bruta, saltem perfectiora, sensibus internis praedita sunt, scilicet: S. Communi, phantasia, instinctu et memoria sensitiva.

St. Q.: Nexus: 1) In Thesi I agitur de omnibus animalibus brutis, nunc tt. de perfectioribus. 2) In Thesi I agitur tt. de aliqua sensatione; nunc de sola sensatione interna.

A. Sensus internus in genere:

1) (sensu latiori): = quaelibet sensatio intra ipsum organismum, v. gr.: dolores stomachi, cordis, etc.

2) (sensu stricto): = «Facultas sensitiva, sed superior, quae sensatione tamquam suo instrumento utitur (i. e. sensatione EXTERNA), et ab illa materiam accipit et deinde plus illa praestat».

B. Sensus internus in specie:

1) **Communis:** (versatur circa objectum praesens) = ille, qui varias sensationes externas (sive presentes, sive memoria reproductas) colligit, unit, easque uni eidemque Obiecto attribuit. — V. gr.: Talem figuram video, eiusque vocem audio, et ope huius sensus communis illi individuo attribuo. (Aliud exemplum vide in argumentatione.) —

2) **Phantasia:** (vel «IMAGINATIO».): = Productio novi phantasmatis ope associationis, v. gr. pictor, etc.

3) **Instinctus:** (vel «VIS AESTIMATIVA»): = facultas sensitiva et interna, quae percipit convenientiam vel inconvenientiam alicuius Obiecti relate ad ipsum Subiectum percipiens. V. gr. sic animal brutum percipit, utrum aliquid sit venenum, etc.

4) **Memoria Sensitiva:** = Facultas, percipiens sensationes praeteritas (dico: «retinens»), easque ut olim habitas recognoscit. — Sic canis recognoscit dominum suum. —

Argumentum: 1) Quoad **S. Comm.: Clare constat** experientia. V. gr.. Equus, videns fenum, statim currit et comedit. Cur? — **Resp.:** Quia cum sensatione visuali sensationem aliam, scilicet saporis unit. — Vel canis, videns baculum, fugit, quia aliam sensationem (olim acceptam) ope associationis unit cum baculo viso. 2.) Q. **Phantas.:** Sic v. gf. equus facillime perterretur propter res insignificantes; — cur? — quia tali occasione alia phantasmata producuntur, vel etiam reproducuntur, ope associationis. 3) Q. **Instinct.:** Sic unice nidificatio et alia opera mirabilia explicari possunt. — Vel sic ovis statim et jam prima vice fugit lupum (non autem bovem) et hoc non propter aliquam tristem experientiam; — ergo: unice instinctu. 4) Q. **Memoriam S.:** Est etiam factum plane notum. Sic canis manifestare solet memoriam fidelissimam. —

THESIS IV **Instinctus brutorum explicatur per species vel associationes innatas cum impulsu exequendi opus.**

ST. Q.: A. Nexus: In Th. II agitur de Instinctu magis in genere, sed nunc in specie et fusius. — Mira et mirabilia opera perficiuntur ab animalibus. Quomodo explicantur? — **B. Variae sententiae:**

1) Cartesius (et alii); explicare vult per «motus reflexos». Attamen dicendum est, hanc sent. peccare per defectum.

2) Büchner (et alii) explicat per «intellectum». — Sed haec sententia peccat per excessum. (cf. Thes. V.)

3) Urraburu: explicare vult per aliquod «judicium caecum».

4) Veteres et Palmieri, Mercier, etc. explicant per Instinctum, i. e. per Species vel associationes innatas cum impulsu opus exequendi.

C. NOS: Defendimus in Thesi sententiam **quartam,** i. e. ipsius Mercier, Palmieri, etc. — Sententia nunc accuratius explicatur: 1) Dicitur: «**Species sensitiva.**» «NB: Utrum etiam intrat imago vel species visualis, de hoc abstrahimus in tota Thesi IV. (contra sent'. ipsius Auctoris) Sed est quasitio non tanti momenti. — 2) Dicitur: «**associationes**»: Lex Universalis haec ita sonat: «Si 2 (vel 3 etc.) sensationes vel species sensitivae semel uniuntur in subiecto percipiente, tunc eo ipso sunt «associatae» i. e., si postea una vel altera, qualibet ex causa surgit, tunc statim etiam altera excitatur, dummodo non adsint impedimenta qualiacumque.» (cf. Psychol. Experimentalis). Porro: Tales species vel associationes possunt esse vel aquisitae vel innatae. — V. gr.: Canis, videns hominem cum baculo, statim fugit. Cur? — quia simul cum specie baculi surgit perceptio verberationis, olim simul unitae in eodem Subiecto. (= Associatio AQUISITA) — Aliud exemplum: Agnus videt lupum, et statim fugit. Cur? — quia imago lupi excitat aliquam perceptionem rei ingratae, et quidem sine et ante omnem experientiam. (= ASS. INNATA).

Lex associationis: Si duo vel tres associationes sensitivae semel uniuntur in subjecto percipiente, sunt associatae i.e. si una vel altera surgit, statim altera excitatur.

Nota: Elementum principale in tota vita sensitiva animalium brutorum: = Sponte sua et semper et unice faciunt illa, quae percipiuntur tamquam **DELECTABILIA** et **GRATA;** — contraria autem sponte sua fugiunt. Ideo: Pro nostra explicatione semper requiritur AFFECTUS DELECTATIONIS tamquam elementum indispensabile.

Pars I Non sufficit motus reflexus.

Arg. 1. Nam opus tam mirabile et tam complicatum manifeste praesupponit aliquam perceptionem.

Arg. 2. Motus reflexi sunt maxime regulares et non interrupti; sed operatio ipsius bruti in tali casu est saepe irregularis, interrupta et adaptata ad circumstantias minimas. Saepe errores corrigit. **Ergo** explicatio Cortesii non sufficit.

Pars II. Instinctus non explicatur per intellectum.

Argumentum 1. (cf. Th. V.)

Argumentum 2. In certis et determinatis adjunctis quodlibet brutum alicuius speciei (biologicae) stultissime procedere solet (sic v. gr. apes cellulas continuo implere conantur quamvis mel continuo efluit.) ATQUI: Tale phenomenum explicari non posset, si animalia minimam facultatem intellectivam haberent. ERGO:... **Argumentum 3.** Si ipsa animalia formaliter procederent ex cognitione intellectiva, tunc eorum facultas prorsus superaret omnem intelligentiam humanam. Nam: 1) Opera eorum sunt valde mirabilia; — 2) Haec exsequi solent sine ulla experientia, quod pro homine esset plane impossibile. ATQUI: Talem exaggerationem evidenter nemo affirmare vult. ERGO: Animalia bruta non procedunt modo intellectivo.

Nota: Haec adhuc clarius elucent ex Thesi V.

Pars III. Instinctus non explicatur judicio caeco:

Argumentum: Aut sumitur s. stricto, tunc est evidenter falsum (quia tale judicium non convenit, nisi entibus intellectualibus); — aut sumitur s. latiori, quid tunc erit illud judicium? — ERGO:... —

Pars IV. Inst. explicatur per species innatas, cum impulsu exequendi opus:

A. Est species (i. e. perceptio sensitiva): **Argumentum:** Est evidens; nam talia opera evidenter manifestant certas perceptiones, et quidem valde perfectas. (v. gr. corrigere solent defectus; sese adaptare videntur ad circunstantias...)

B. Sunt species associatae: Argum.: Nam una species eo ipso aliam excitat. (cf. canis et bacul.)

C. Sunt Sp. Innatae: — Argum: Nam, sine ulla experientia illa opera exsequi solent; — et primum opus erit aeque perfectum sicut decimum et centesimum et ultimum. (Aliter res sese haberet, si proveniret ex experientia).

D. cum impulsu opus exequendi: Arg. 1. Actio spontanea in homine semper fit cum impulsu vehementi; — a fortiori hoc valet in bruto, ubi nullum ratiocinium intercedit. — **Arg. 2.** Patet ex obvia consideratione et observatione rerum. Nam animalia bruta modo impulsivo procedere solent in suis operationibus. — **Arg. 3** Affectus DELECTATIONIS est elementum principale in vita sensitiva; — i. e. id, quod animal percipit ut sibi **gratum,** vel jucundum et delectabile, hoc sponte sua et vehementer et absolute necessarie appetit, i. e., **impellitur** ad Obiectum. ERGO: Idem valet in nostro casu. —

THESIS V. Animalia bruta intellectu carent.

St. Q.: A. Definitio:» Intellectus = Facultas, qua Subiectum cognoscit UNIVERSALIA, IMMATERIALIA, RELATIONES, et quidem qua tales,.. qua potest RACIOCINARI, (i. e. formare Syll.) et qua potest REFLECTERE in se ipsum». —

B. Adversarii: (Democritus, Pytagoras, Darwin, Büchner)

Arg. 1. (= Arg. generale ex ipsa Definitione):
Intellectus est facultas, qua Subiectum cognoscit non tt. Concreta et materialia, sed etiam: 1) Universalia, Im-

materialia et Supersensibilia; 2) Relationes qua tales (v. gr. inter causam et effectum, etc) — 3) Potest ratiocinari, i. e. formare Syllogismos. — 4) Potest reflectere in se ipsum et in suos proprios actus. —

ATQUI: Haec omnia animalia bruta praestare non possunt. — quia tota eorum vita absolvitur in rebus mere concretis, materialibus, in perceptionibus mere spontaneis et directis. ERGO: Animalia bruta intellectu carent.

Arg. 2. (Quia nullus invenitur progressus in scientiis, etc.) Intellectualia ex suo conceptu et teste experientia quotidiana continuo progrediuntur in scientiis, in artibus, in rebus moralibus et religiosis. — ATQUI: Animalia nullo modo talem progressum manifestant, ne quidem initialiter et imperfecte. — ERGO: Intellectu carent.

Ad maj: Est factum universale et plane notum apud omnes gentes et populos, in omnibus et etiam pessimis conditionibus. (cf. factum celeberrimum et classicum de Helena Keller.) Deinde idem constat ex naturali et interna tendentia et inclinatione naturae humanae, utpote intellectualis. —

Ad min: Altera ex parte tale quid numquam inveniri potest in brutis, ne quidem in optimis conditionibus. Ibi de facto nulla scientia, et consequenter nec progressus in sc. et in artibus, etc. — Nulla pictura, neque architectura, neque litteratura, nulla inventio (v. gr. Electricitatis, Radioactivitatis, etc.) — OBIECTIO: Illud exemplum de cane «**Rolff**» et de illo equo contemporaneo de Mannheim contrarium probare videtur? — Resp: Nullo modo. — Partim erat fraus et purum mendacium, altera ex parte phenomina, per solum instinctum expli. et solubilia, uti in Thesi IV. probatum est. —

Arg. 3. (Ex Lingua)

Entia intellectualia necessarie ducuntur ad linguam conceptualem formandam. — ATQUI: Iterum nihil in brutis de tali lingua, ne vestigium quidem. — ERGO: Intellectu carent.

Ad maj: Est factum. — Deinde fit iterum natura duce. —

Ad Min: In brutis manifestantur tt. soni et prolationes et voces et clamores naturales. Non proveniunt ex idea aliqua interna et spirituali conceptu. OBJECTIO: Certa animalia verba et phrases integras humanas imitari valent? — Resp: Sed ex omnibus abjunctis tam clare elucet, hoc non venire ex aliqua idea interna. Provenit ex aliquo instinctu imitandi certas actiones aliorum, qualis etiam in parvulo invenitur, cuius fere tota vita mere sensitivis et vegetativis absolvitur. —

Arg. 4. (Est Arg. populare, sed tamen optimum)
Tota vita bruti absolvitur rebus et functionibus mere sensitivis et vegetativis, ideo pure materialibus. (Si habet delectationes corporales, tunc contentum erit). ATQUI: Si saltem vestigium alicuius vitae intellectualis adesset, tunc tale factum explicari et comprehendi non posset. — ERGO: Intellectu carent. —

Corollarium NOTANDA ad certas obiectiones refutandas: — Si Objiciens affert aliquod factum extraordinarium, et ita probare vult, animalia habere intellectum, quid tunc dicendum erit? — Resp: 1) Peto probationem **facti.** Saepe constat, esse simplex mendacium. — 2) Vel forte est factum verum, sed ipsa adjuncta (de quibus finaliter omnia pendent), valde et essentialiter exaggerantur. — 3) Etsi nulla adest exaggeratio, tunc prorsus explicari debet per instinctum. 4) Et si hoc non sufficit, tunc debemus dicere, etiam hodie adhuc fieri posse phenomena diabolica. — 5) Finaliter inculcandum erit, nos non omnia phenomena huius mundi explicare posse neque debere. Contrarium esset illusio et signum superbiae incredibilis et est praecise error Rationalistarum. Sed praecise propterea phenomena saepe simplicissima explicare non valent et sic iterum illis puniuntur, quibus peccant, quod saepe fit in mundo. — (NB: Ad casum ultimum illustrandum: In cadavere saepe adhuc crescunt capilli. Sed ex hoc nemo concludere vult, in cadavere adhuc existere vitam vegetativam. Omnes riderent. Ideo dicendum erit, multa a nobis explicari non posse.) — 6) Tandem aliquando concedere debemus, ipsa animalia intellectualiter agere et quidem magnopere et summe, sed non FORMALITER ET SUBIECTIVE, sed tt. MATERIALITER et OBJECTIVE. — animalia bruta

THESIS VI. **Anima sensitiva essentialiter superat materiam.**

St. Q.: 1) Animam sens. esse substantiam, hoc probabitur in Th. XIX. — 2) Dicitur, essentialiter superare ipsam materiam brutam; sed propterea nullo modo sequitur, esse ens spirituale. — 3) Ceteroquin, jam in Cosmologia probatum est, ipsum Pr. Vitale (et quidem jam in plantis) esse ens sui generis et essentialiter superare materiam crassam. —

Arg. 1. Vita et operationes vitales, praesertim sensitivae, essentialiter superant omnem activitatem solius materiae brutae (i. e. prorsus superant solos processus chimicos et physicos). — ATQUI: Tunc a pari (et a fortiori) ipsum Principium talium operationum debet essentialiter superare ipsam materiam brutam (quae est principium et substratum illorum processuum chimicorum). — ERGO: A. S. ess. superat mat.

Ad maj: Nam 1) Operatio sensitiva = actio IMMANENS (cf. Th. 29. ex Cosmologia.) — Contra: Processus chimico-physicus = semper actio mere transiens. — 2) Operatio sensitiva = vere et proprie **perceptiva;** — operatio ch. phys autem mullo modo. — 3) Operatio sens. = AFFECTIVA; — (v. gr. gaudium propter sensationem delectabilem, etc.); — operatio ch'. — phys. nullo modo.

Ad Min: Est evidens, secus effectus superaret suam causam.

Arg. 2. Materia bruta = extensa (saltem in ordine naturali (cf. Cosmologia). — ATQUI: Anima sensitiva = **simplex.** — ERGO: A. S. essentialiter superat materiam (nam ens simplex essent'. superat ens extensum). —

Ad min: Constat ex UNITATE CONSCIENTIAE; — nam: Si A. S. haberet partes, tunc singulae partes Subiecti percipientis corresponderent singulis partibus Obiecti percepti et tunc non adesset PERCEPTIO JUXTAPOSITIONIS partium, i. e. non esset perceptio ipsius TOTALITATIS (quod de facto adest; — cf. Fig. A.), sed esset tt. JUXTAPOSITIO perceptionum partialium. (cf. Fig. B.)

— Breviter: Non esset perceptio JUXTAPOSITIONIS, sed esset ad summum JUXTAPOSITIO perceptionum partialium.

Fig. A = Perceptio. TOTALITATIS.

= Perceptio JUXTAPOSITIONIS

: 1

+————————: 2

: 3

Fig. B. = P. PARTIÁLIS,vel

= PARTIALITAS Per.

+———————— 1

+———————— 2

+———————— 3

THESIS VII. Sensatio est effectus totius compositi.

St. Q.: Sunt 3 differentes Sententiae:

I = Sententia Materialistarum (qui negant existentiam animae sensitivae), dicunt, sensationem effici a SOLA MATERIA. —

II — Sententia: S. effici a SOLA ANIMA SENSITIVA. = **3 plex** expli.:

1) Plato: Materiam esse tt. OCCASIONEM. (ita multi alii.)

2) Tongiorgi: Materiam esse CONDITIONEM EXTERNAM. (Unio Dy.)

3) Palmieri: Materiam esse CONDITIONEM INTERNAM.

III Sententia: (= Sent. communis, quam **NOS** defendimus): S. effici a TOTO COMPOSITO, i. e. neque a sola materia, neque a sola anima sensitiva, sed ab UTROQUE SIMUL. — Id est: Anima s. SOLA est Principium FORMALE (cognoscitivum); — sed TOTUM COMPOSITUM est Pr. EFFECTIVUM ELICIENS ipsius Sensationis. —

Arg. 1. (Ex omnimoda Dependentia)

Omnis sensatio in quolibet momento, secundum omnes

suas proprietates (intensitatem, durationem, etc), **omnimode** dependet ab excitatione nervea. — ATQUI: Tale quid intelligi non posset, si materia esset tt. occasio vel conditio et non vera concausa sensationis. ERGO: Sensatio est effectus totius compositi. —

Arg. 2. (Ex Parallelismo Psycho — Physico)

Singulis actibus physicis correspondent determinati actus psychici et vice-versa. — ATQUI: Talis Parallelismus explicari non posset modo naturali, si illi diversi actus non haberent eandem causam communem, i. e. totum ipsum Compositum. — ERGO: S. efficitur a toto Composito. —

Nota: Defenditur Parallelismus «CAUSALIS» et non Parallelismus «OCCASIONALIS», qui ultimus refutatur a nobis in Thesi L. —

Arg. 3. (= ARGUM. PRINCIPALE.)

Illud ens est vera causa efficiens, quod vere et active et physice influit in effectum producendum. — ATQUI: — Non tt. anima sensitiva, sed etiam ipsa materia **active** et physice influit ad sensationem producendam. — ERGO:.. Thes. —

Ad min: Est evidens. Nam, v. gr. in sensatione VISUALI, illa impressio Obiecti in «Retina» et consequens transmissio eiusdem impressionis in Cerebro ope nervi optici, sunt verae activitates physicae et quidem operationes vitales (quia fiunt in organismo vivo), ergo, active et physice et quidem vere et vitaliter influunt ad sensationem producendam. Ergo: Ipsa operatio materialis et consequenter ipsa materia intrat tamquam concausa sensationis. —

THESIS VIII. Una sola anima est in singulis brutis, ex qua vita vegetativa et sensitiva fluit.

St. Q.: NB Nolumus dicere, Thesim esse certam, sed tt. esse probabilem. (cf. Th. XIX.) — **Adversarii:** Sunt multi Biologi moderni, qui putant, existere 2 principia vita-

lia in entibus sensitivis, scilicet: Pr. sensitivum et Pr. veg., — Alii iterum admittunt unam tt. animam SENSITIVAM in singulis brutis, sed varias animas VEGETALIVAS, scilicet Principium speciale pro qualibet functione vegetativa; — v.gr. pro nutritione, pro generatione, etc. — **NOS**; — cf. Thesis. —

Arg. 1. Una vita cessante, eo ipso et altera cessat, scilicet vita vegetativa. (cf. in morte) — Porro, in nativitate numquam venit una vita post alteram, sed utraque simul. — ATQUI: Hoc maxime insinuat esse unum tt. Pr. ERGO:. . .

Arg. 2. Deficiente una operatione, tunc statim totum animal pati debet. (cf. dolores stomachi, etc.) — ERGO:. . . —

THESIS IX. Anima bruti est substantia incompleta, non in se subsistens.

ST. Q. Substantia = Ens, cui competit esse in se, et non in alio ut in Subiecto inhaesionis.

1) COMPLPETA: i. e. non ordinatur ad aliam substantiam, ut cum illa constituat aliquam novam tertiam, compositam. (Ang'.) NB: Haec substantia completa semper est in se subsistens, saltem naturaliter. (Abstrahitur de miraculo). —

2) INCOMPLETA: i. e. naturaliter ordinatur ad aliam substantiam, ut simul cum illa constituat aliquod ens novum, i.e. Compositum substantiale. (Sic v. gr. Anima humana, etc.) — Haec substantia incompleta iterum potest esse:

a) IN SE SUBSISTENS: i. e. non tt. IN SE, sed etiam PER SE existere potest. Ideo dependet non intrinsece, sed tt. extrinsece ab altera parte. ((cf. v. gr. Anima humana) — Porro: Ideo etiam separatim existere potest, et quidem naturaliter. —

b) NON IN SE SUBSISTENS: i. e. potest quidem existere IN SE, sed non PER SE. — Ideo, INTRINSECE dependet ab altera substantia, sine qua et separatim exis-

tere nequit. (cf. v. gr.: Pr. vitale in plantis; — idem in Thesi affirmatur de anima sensitiva animalium brutorum.)

Nota: Ex modo dictis patet, Ens IN SE et Ens PER SE non esse Synonima, quamvis nonnumquam ab Auctoribus ita sumi soleant. — (cf. v. gr. P. Frick S. J. in sua Ontologia. n. 209.

Pars I. Anima bruti est substantia: — Argumentum: Aut est Substantia, aut Accid. ATQUI: Certe non est Accidens. — ERGO: Debet esse Subst'. —

Ad min: Si esset Accidens, tunc esset accidens ipsius materiae, quod absolute repugnat. — Nam: 1) Accidens non potest essentialiter superare suum Subiectum vel substratum, cui inhaeret tamquam subiecto. — Atqui: Anima sensitiva (secund'. Thesim VI.) essentialiter superat omnem materiam crassam, vel brutam. Ergo: non potest esse eius accidens. — 2) Accidens non dirigit, sed **dirigitur** a substantia. Atqui: Anima sensitiva non dirigitur a materia, sed potius eam dirigit. Ergo, non potest esse eius accidens; — ergo, ipsa debet esse aliqua substantia. — ERGO: Sequitur PARS PRIMA. —

Pars II. Est substantia non in se subsistens: Agumentum: Nam, sine materia non potest operari, et quidem ita, ut absolute et intrinsece dependeat in suis functionibus omnibus a correspondentibus functionibus ipsius materiae. (cf. Thes. VII.). — ATQUI: Tunc aeque bene non potest «esse» vel existere sine materia bruta. — ERGO: Est Substantia non in se subsistens. —

Ad min: Nam «agere sequitur esse», i. e. sunt eiusdem conditionis; ideo, si anima sentitiva non potest agere nisi per intrinsecam dependentiam a materia, tunc ne quidem existere potest separatim a materia bruta. —

Argum. 2. Existere sine fine sibi proprio, esset contra finalitatem, i. e. contra Principium Axiologicum (cf. Ontologia et Theodicea). ATQUI: — Anima sensitiva separatim a corpore nullum haberet finem (quia tota eius finalitas est haec, ut informet materiam, eique attribuat esse altius, i. e. esse vivum) —ERGO: Sine corpore nullam haberet finalitatem naturalem sibi propriam, et consequen-

ter sine corpore nequidem existere potest. — ERGO: THESIS. —

Pars III. Anima bruti est substantia incompleta:

Arg: 1. Clare sequitur ex parte II. Nam, si non separatim a corpore existere potest, tunc a fortiori non potest esse substantia completa. (Sic v. gr. anima humana in se existere potest, et tamen non est substantia completa; — tali casu a fortiori non anima bruti.) — ERGO:... —

Arg. 2. Anima bruti est vera Forma (substantialis) ipsius corporis, i. e. dat ei esse vivum, esse altius, esse vere immanens. — ATQUI: Hoc esset prorsus impossibile, si anima bruti jam esset aliqua substantia completa. (i. e. saltem naturaliter hoc repugnaret.) — ERGO:...—

THESIS X. Anima brutorum, saltem perfectiorum, est quantitative vel integraliter simplex.

St. Q.: 3 sunt diversae sententiae hac in re: (Omnes aliae ad has reduci possunt):

1) St. Augustinus, Simplicius, Cajetanus, Tongiorgi, Palmieri et multi alii dicunt: «**Omnis** anima beluina est vere simplex». —

2) Scotus, Durandus, Suaresius, Pesch et alli dicunt, prorsus **nullam** animam beluinam esse simplicem. —

3) S. Thomas, S. Albertus Magnus, Thomistae fere omnes et NOS dicimus: «Saltem animalia **perfectiora** habent animam quantitative et integraliter simplicem, i. e. non adsunt partes extensae.» (cf. v. gr. equus, canis, asinus, aves, pisces, etc.) — NB: De animalibus imperfectioribus nihil affirmatur in Thesi. Simpliciter abstrahitur ab hac quaestione. —

Arg. 1. (Ex unitate conscientiae — cf. Th. VI.) Si anima sens'. esset extensa, tunc ad summum cognosceret obiectum per partes, i.. e. non esset cognitio «JUXTAPOSITIONIS», sed esset tantummodo JUXTAPOSITIO cognitionum partialium. (cf. Th. VI. Arg. 2.) — ATQUI: Hoc ultimum esset contra omnem experientiam, i. e. contra unitatem Conscientiae. ERGO:...—

Arg. 2. (Idem sed alio modo)

Animalia, saltem perfectiora, habent cognitionem totalem ipsius Obiecti extensi. — ATQUI: Hoc esset impossibile, si anima esset extensa. — ERGO:... —

Ad min: Quia esset tt. coexistentia cognitionum partialium in variis partibus Subiecti (utpote extensi) et non esset cognitio totalitatis (quod tamen de facto est.) —

THESIS XI. Species impressa est causa partialis sensationis; — Haec non est mera passio sed vera actio immanens. —

ST. Q.: Nota: 3 sunt causae efficientes, partiales in sensatione (si abstrahimus a causalitate suprema et DIVINA), scilicet: Anima sensitiva-corpus-Obiectum externum-(quod ope undulationum, etc. impressionem aliquam exercere solet in ipsa organa externa). —

A. Conceptus:

1) SPECIES IMPRESSA: Est processus physicus, productus ab Obiecto externo. Est aliqua actio et reactio physico-chimica, ideo per se et in se aliqua functio anorganica, ideoque in organo mortuo (sed adhuc intacto) et in apparatu (v. gr. photographico) aeque bene produci potest. —

Attamen, SECUNDUM QUID recte vocatur actio VITALIS (non jam sensitiva, sed adhuc vegetativa), quia hic et nunc fit in organo vel subiecto VIVO (Ideo vocatur actio PHYSIOLOGICA)

2) SPECIES EXPRESSA: Est processus non mere physiologicus, sed psychicus, est ipsa ultima reactio animae (qua sensitivae), est ipsa sensatio qua **talis.** Vocatur «SP. EXPRESSA» quia ipsa anima quodammodo sese» exprimit», respondendo ad illam impressionem, causatam ab Obiecto). —

Relate ad naturam huius SP. IMPRESSAE 3 enumerantur sententiae principales, scilicet:

I.ª Sent.: (Plotinus, Idealistae generatim omnes, praesertim Kant, etc.) dicit: Sensat'. esse meram et puram activitatem ipsius animae solius (et quidem logice, quia negant aut ipsum mundum realem, aut saltem influxum ipsius mundi). —

II.ª Sent.: (cf. Adversarii ex Th L.): Animam mere PASSIVE sese habere. —

III.ª Sent.: (St. Thomas,.. etc. et **NOS):** Dicimus, sensationem (i. e. SP. EXPRESS,) neque mere passive, neque mere active sese habere, sed partim passive et partim active. — Passive sese habet relate ad Obiectum, et active relate ad ipsum actum proprium. —

Pars I. Requiritur species impressa: — Argumentum: Obiectum debet agere in ipsum Subiectum (i. e. organum), secus nulla sensatio fieri posset. ATQUI: — Hoc esset impossibile sine SP. IMPRESSA. — ERGO: Existere debet talis SPECIES. —

Ad maj: Est factum plane evidens, quod clare constat ex observatione accurata; et talem convictionem non esse erroneam et meram illusionem, hoc constat ex Critica. —

Ad min: Hoc esset impossibile sine SP. IMPRESSA, i. e. sine quadam modificatione Subiecti, causata ab Obiecto. —

Pars II. Sp. impressa est vera con-causa sensationis: Argumentum: Causa EFFICIENS est illa, quae vere ACTIVE influit ad effectum producendum (et non tt. passive, uti v. gr. simplex conditio vel occasio). — ATQUI: — SP. IMPRESSA (i. e. illa modificatio physica) prorsus active influit ad effectum producendum, i. e. ad sensationem causandam. — ERGO: SP. IMPRESSA est vera causa partialis eff... —

Ad maj.: V. gr. foramen = tt. conditio (sine qua non), ut aqua possit effluere (ex aliquo receptaculo), sed nullo modo vocari posset causa in tali casu. —

Pars III. Species expressa (i. e. ipsa sensatio) non est mera passio, sed vera activitas immanens:

Arg. 1. sensatio est vera cognitio vel perceptio. —

ATQUI: — Cognitio evidenter debet esse aliqua actio. ERGO: —

Arg. 2. Si sensatio esset mera passivitas, tunc esset effectus merus et proprius ipsius speciei impressae (i. e. accidentis physiologici). — ATQUI: — Hoc repugnat. ERGO:

Ad min: Nam SP. EXPRESSA, utpote activitas PSYCHICA, et vere cognoscitiva, essentialiter superat ipsam speciem impressam, quae est mera modificatio chimico-physica, licet in organismo vivo, ideoque vocatur «physiologica». —

THESIS XII. Sensatio, vel Sp. Expressa non est medium «quod», neque m. «quo», sed med. «In quo». —

ST. Q.: Tres sunt sententiae hac in re, uti in Th. indicatur:

I. Sent.: Locke, Cartesiani et alii dicunt, S.. esse m. «**quod**»: Sed iterum duplex genus Adversariorum huius Sentent.:

1) Kant et multi alii Idealistae dicunt, esse M. «QUOD», ita ut m. ipsum directe et immediate cognoscatur, quin ipsum Obiectum externum percipi possit. —

2) Alii (non Idealistae) dicunt ita: Directe nihil percipi potest, nisi solum ipsum medium (SPEC.); sed postea aliquo actu secundo, ope ipsius meddii (SPECIEI) etiam Obiectum attingi potest. —

II. Sent.: Duns Scotus, Scotistae et alii dicunt ita: In sensatione SPECIES non est m. «QUOD», sed m. **quo**»: Et quidem.

1) Aliqui ita affirmant: SPECIES, i. e. Imago subiectiva (directe et unice perceptibilis ex. I. Sent.) nullo modo percipi potest; — id, quod percipitur, est **unice** ipsum Obiectum externum, licet mediante specie vel illa imagine (ideo nomen «m. quo»). —

2) Alii dicunt: Utique, directe et primo actu tt. Obiectum percipitur, sed postea, actu aliquo secundo (et mediante imagine) etiam ipsa imago percipi solet. —

III. Sent.: NOS cum multis Scholasticis dicimus: SPECIES, i. e. ipsa imago subiectiva (et **viva**) est potius m. **«in quo»**, i. e.: est medium, in quo **unico eodemque** actu et **directe** percipitur IPSA IMAGO SUBIECTIVA ET SIMUL IPSUM OBIECTUM EXTERNUM, et quidem tamquam UNUM IDEMQUE, et non ut DUO. — Aliis verbis: Ipsa imago subiectiva, projecta ad extra (ope projectionis psychologicae) et quidem ad illum prorsus locum, ubi adest Obiectum, praecise propterea coincidere videtur cum Obiecto ipso; — Ideo et IMAGO et OBIECTUM directe et UNICO actu percipiuntur, AC SI ESSENT UNUM QUID.

Pars I. Species (imago viva) non est medium «quod«:

A. Certo non illo sensu idealistico: — Nam constat ex **Crit. B.** Neque sensu illo non — idealistico: — Quia experientia potius contrarium testatur. (Utique, libenter concedimus, in prima juventute, statim post nativitatem ita esse. Id est ope tactus ipsa imago paulatim projicitur ad extra, sed illa projectione continuo repetita, paulatim non jam requiritur nova experientia. —

Pars II. SP. non est medium «quo»: — A. non sensu I.:

Arg. 1. Quomodo secus explicari posset v. gr. **Hallucinatio?** Nam: Ibi nullum adest Obiectum externum, et tamen percipitur aliquid, et quidem tam clare, ac si O. adesset. Ergo: id, quod percipitur, non est solum O externum, secus Hallucinatio esset physice impossibilis. —

Arg. 2. Teste Physica moderna, COLORES qua tales et formaliter non sunt nisi in ipsa imagine subiectiva (et tt. causaliter in obiecto). — ATQUI: Tunc evidenter falsum esset, si aliquis affirmaret, ipsam imaginem subiectivam qua talem numquam percipi posse, ne quidem actu aliquo 2.°. —

B. Neque est m. «QUO» illo sensu II.:

Argum: Ratio est iterum haec, scilicet, esse contra experientiam quotidianam. (Utique, Hallucinationes etiam in tali casu salvarentur; idem valet de Theoria COLORIS.)

Pars III. Spec. (imago viva) est medium «in quo»:

Arg. 1. Rejectis ceteris sententiis, de facto hoc unice sequitur, quia non datur alia possibilitas. —

Arg. 2. De facto optime concordat cum nostra experientia quotidiana. (Utique, abstrahimus ab illa prima experientia, immediate post nativitatem, uti jam diximus supra. — cf. Th. XIX.) —

THESIS XIII. Teste experientia scientifica, probabilius ipsum cerebrum est sedes sensationis externae.

ST. Q.: NB: Non quaeritur locus obiecti percepti, qua percepti, sed locus ipsius sensationis subiectivae. —

Variae sententiae:

1) Scholastici fere omnes (non autem Aristoteles): Organum **solum** esse sedem sentationis; — **Argum':** Dicunt, esse factum plane notum ex testimonio Conscientiae. (Visio in oculis.)

2) Multi Scholastici recentiores; — dicunt, sedem sensationis esse Organum **et** Cerebrum. — Iterum 2 sententiae diversae: a) Uraburru, Farges, et alii dicunt, Organum esse sedem et Cerebrum esse conditionem (sine qua non) pro sensatione. b) Mercier, Pesch, Palmieri et alii dicunt, UTRUMQUE simul esse vel constituere sedem sensationis externae. —

3) Physiologi moderni, nonnulli Scholastici moderni, uti v. gr. Fröbes, Lindworsky, et. et NOS: UNICA sedes sensationis externae est ipsum Cerebrum **solum.** — (Probatur exper.)

Nota: 1) Loquimur unice de sensatione externa; — nam circa multas sensationes interiores et circa sens. int. sensu proprio Adversarii generatim non faciunt difficultatem. — 2) Loquimur de experientia non vulgari et quotidiana (quia de facto haec in nostro casu non sufficit), sed agitur de experientia magis accurata, et scientifica. — 3) Nolumus dicere, Thesim esse absolute certam, sed dicimus, esse sent. probabiliorem ceteris sententiis. —

Pars I. Probatur negative: (Refutantur Obiectiones):

1) Est contra testim. Conscientiae? — V. gr. Visio fit in oculis? — Tactus v. gr. in digito? — etc. — Resp: Adversarii confundunt Sedem sensationis cum loco Obiecti repraesentati. **NB:** Etiam bonum est hic, distinguere inter testimonium, quod sentitur initio vitae, et inter illud, quod habetur postea.

2) Sed nulla explicatio rationabilis inveniri potest in nostra sententia? — Resp: — Facillime invenitur. — Nam, explicatur per aliquam legem Psychologicam, quae vocatur «**Lex projectionis**», quae lex iterum fundatur illa celeberrima lege «ASSOCIATIONIS». — EXEMPLUM: Manus mea perfuratur. Statim sentio dolorem vehementem in manu. — Cur? — Quia statim figitur finis normalis huius nervi; — video manum meam perfuratam et sentio simul dolorem (in Cerebro); — sed propter associationem dolor «projicitur ad organum, i. e. ad manum in nostro casu. — **NB:** Hanc legem projectionis esse veram et legitimam, certo constat ex Physiologia moderna. — Porro, hanc esse unicam solutionem (saltem probabilius), hoc statim probatitur positive. —

Pars II. Thesis probatur positive:

Argumentum: Illa sententia sola est vera, quae sola potest explicare omnia facta, non tt. normalia, sed etiam abnormalia. — ATQUI: — SOLA nostra sententia videtur explicare omnia facta psychica (hac in re), non tt. normalia, sed etiam ABNORMALIA. — ERGO:... —

Ad maj.: Agitur praesertim de factis ABNORMALIBUS; — nam ipsa phenomena normalia etiam ab Adversariis facile explicari possunt, sed non abnormalia. —

Ad min.: — 1) Quoad **hallucinationem:** — Destructo ipso organo immo, destructis fere omnibus centris subcordialibus (v. gr. Medulla Spinali, etc.), HALLUCINATIO adhuc fieri potest. (Quod est prorsus certum). — Porro: Destructis oculis totaliter, nihilominus adhuc haberi potest aliqua sensatio lucis, dumodo nervus opticus excitetur in qualicumque parte. — Atqui: Quomodo tale quid explicaretur, si Organum esset sedes sensationis (sive totalis, sive

partialis, hoc nihil refert)? — Nam, sensatio sine sede sensationis evidenter fieri nequit. Atqui: Si sensatio adhuc fieri potest, non obstante absentia organi, quo jure tunc ipsum organum adhuc vocari posset «Sedes» sensationis? —

2) **Aliud factum:** — Membro aliquo jam amputato, homo nihilominus adhuc sentire potest DOLORES in «eodem» membro. (cf. Facta certiss. ex bello) — ATQUI: Iterum, quomodo ipsum organum posset esse sedes, si non jam adest? ERGO:

Nota: — Quomodo explicatur? — Resp: Ubicumque nervus in sua migratione irritatur, eo ipso statim hoc anuntiatur in correspontenti sede cerebrali, et ibidem statim fit ipsa sensatio. (= SEDES sensationis, i. e. LOCALISATIO SUBIECTIVA). Nunc, proter associationem (jam in prima juventute coeptam et continuo corroboratam) ipsa sensatio projicitur a cerebro in illam partem corporis, ubi ille nervus ordinarie excitari solet. — Ideo: Associatio saepe repetita inter ipsum stimulum sensoricum et inter imaginem visualem illius partis irritatae est lex, quae etiam in nostro casu solvere valet multa phenomena psychica. —

Corollarium: — 1) Thesis tt. loquitur de **homine.** — Quomodo sese habet relate ab bruta, nihil affirmatur in Thesi. — 2) Facta allata in argumentatione non sunt tam rara. Inter alia singularia P. Fröbes narrat sequens exemplum: Operarius quidam, vulnere accepto in fronte, in aliqua Clinica operationem chirurgicam pati debuit. Ad partem laesam sanandam, medicus adhibuit particulam ex carne viva brachii. Operatione peracta, (adhuc post multum tempus), quotiescumque illa pars frontis tangebatur, ille operarius sentiebat irritationem in illa parte brachii, ubi medicus carnem secaverat. — En, confirmatio clara nostrae sententiae, scilicet, sedem sensationis esse in solo cerebro. —

ASSERTUM: In qualibet sensatione eo ipso percipitur proprium «ego».

ST. Q.: 3 sunt sententiae hac in re: 1) TONGIORGI: Dicit, animam seipsam sentire perenniter et independenter a qualibert sensatione. Ideo, sese sentiens, simul sentit

suam praesentiam UT in suo corpore, et quidem prius qualibet alia sensatione. — 2) ALII: Sola Conscientia et immediate percipimus corpus extensum, utpote pertinens ad permanens et proprium «EGO». — 3) NOS: «EGO» qualibet sensatione eo ipso percipitur, utique, non discursive et abstracte (quod est evidens), sed intuitive et concrete. —

Arg. 1. Secus non possemus postea recordari actus proprios tamquam nostros (uti postea probabitur in Thesi XVIII.) —

Arg. 2. Constat clare experientia quotidiana. —

Corollarium: Ex Psychologia Experimentali constat: 1) Aliquando individuum sui ipsius **obliviscitur.** (v. gr. nescit, quid hic et nunc sit faciendum) — 2) Accidere solent saepe perturbationes «**personalitatis**». (i. e. Individuum ignorat et consequenter negat suam propriam historiam) — 3) Accidere potest «**Depersonalisatio**» (i. e. individuum sese totaliter aliter sentit). — 4) In somniis, saepe propria verba habentur tamquam verba aliena. — Ergo: Ruit sententia nostra? — **Resp.:** NULLO MODO. — Nam his phenomenis Subiectum percipiens non errat circa ipsum «EGO», sed errat solum circa identitatem ipsius «EGO» praesentis cum «EGO» praeterito. —

Corollarium: Consequenter ruit sententia ipsius Tongiorgi, qui putat, «EGO» percipi independenter a qualibet sensatione. Nam: Experimur 1) **Hoc** corpus semper et in omnibus sensationibus nostris adesse. — 2) huius membra dependere a **MEA** voluntate; — 3) Solum huius corpus posse de facto habere sensationem et tangentis et simul tacti.

THESIS XIV. Facultas, qua animal percipit sensationes ut suas, non est facultas propria, specialis.

ST. Q.: NEXUS: Animal percipere posse suas proprias actiones tamquam suas sibi proprias, jam clare elucet ex ASSERTO antecedenti. Nunc quaeritur, utrum sit nova et specialis facultas sensitiva, an non? —

Adversarii: 1) Plato, Cartesius et alii putant, talem functionem prorsus superare quamlibet potentiam sensitivam. Ideo saltem implicite negant nostram Thesim. — 2) St. Augustinus, St. Thomas, De Backer et alii omnino concedunt existentiam talis functionis sensitivae, sed putant esse activitatem alicuius Facultatis SPECIALIS, quam vocant «SENSUM INTIMUM». — (NB: Non est idem ac S. Communis, nec sec. St. Th.) **NOS:** Cum Suaresio, cum Tongiorgi, Palmieri, cum Lahouse et aliis dicimus: Facultas, qua animal percipit sensationes suas tamquam SUAS, **non** est aliqua facultas **specialis,** sed est generale attributum vel functio cuiuscumque sensationis. — (NB: Evidens est, Thesim tt. agere de animalibus superioribus et non de inferioribus, quae non gaudent sensatione perfecta.)

Argumentum: Sec. Adversarios nullus sensus potest percipere proprium «EGO» et praecise propterea postulant «SENSUM INTIMUM» tamquam Facultatem specialem et propriam et prorsus distinctam a qualibet alia facultate sensitiva. — ATQUI: — Hoc est absurdum. — ERGO:... Thesis. —

Ad min: Nam, logice etiam ipse «SENS. INTIMUS» iterum indigeret altiori facultate (sensitiva); et tunc esset series INDEFINITA, quae repugnat, saltem ubi de C. EFFICIENTI agitur.

THESIS XV. Existit «sensus communis». —

ST. Q.: Nexus: Existentia et natura huius facultatis jam in Thesi III. exponuntur, sed magis in genere. Nunc in specie. — **Definitio:** — «SENSUS COMMUNIS» = Facultas, qua animal DISCERNIT inter sensibilia, eademque colligit et eidem obiecto externo attribuit. —

Argumentum: Animal una eademque sensibilia disparata (i. e. obiecta variorum sensuum) simul cognoscere, et quidem DISCERNERE, COLLIGERE eique obiecto externo attribuere potest. — ATQUI: — Hoc fieri nequit sensu externo (quia hic non nisi unum sensibile, SIBI IPSI SOLI proprium, attingere valet). — ERGO: Debet existere specialis S. (COMM.) —

Ad maj.: — A. Animal potest **discernere: —** Nam; 1) Constat ex comparatione variorum sensibilium. — Accidit, ut animal ex variis sensibilibus eligat UNUM prae ALIO; — in tali casu executio non ita fit, ut quaelibet perceptio suum motum imperet, et illi varii motus deinde ad motum resultantem componentur; sed potius fit ita, ut oriatur aliqua « RESULTANTIA » inter ipsas perceptiones, ex qua resultantia statim sequatur motus. **Ergo:** Simul omnia illa obiecta simul percipit et discernit et eligit unum prae alio. — 2) Non solum reagit ad quodlibet sensibile suo tempore, sed secundum varietatem successionis illorum sensibilium vario modo reagit. — V. gr.: Si curro et quidem celerrime, aliter reagit canis, ac si vado lente. —**Ergo:** Non solum percipit obiecta, sed DISCERNIT ea secundum viriationem successionis, et quidem non tt. eiusdem sensationis externae, sed etiam variarum sensationum.

B. Colligit: — Hoc est tam evidens, ut non indigeat specialis argumentationis. V. gr.: Animal, VISU CIBO, et ODORE PERCEPTO, statim obiectum vehementer appetit ut sapidum, et trahitur ad manducandum. —

Corollarium: Uti jam diximus in Thesi III., ipse S. COMMUNIS quodammodo utitur sensibus externis tamquam suis instrumentis. Ideoque debet esse non tt. facultas realiter distincta ab illis, sed etiam facultas **altior.** — Hoc adhuc magis elucet ex eius munere DISCERNENDI etc. —

Phantasia.

THESIS XVI, Species rememorativa est qualitas compositi.

ST. Q.: A. Nexus: 1) Agitur de **Phantasia.** Hanc existere tamquam facultatem specialem in brutis saltem perfectioribus, hoc jam probatum est in Thesi III. — 2) Iterum:

Definitio: — Phantasia est facultas sensitiva et interna, qua animal sensationes praeteritas iterum REPRODUCERE potest. (Quod fit per applicationem celeberrimae legis ASSOCIATIONIS; — cf. Thes. IV. et praesertim Psychologia—Experimentalis.) — Sed **quomodo fit** talis

REPRODUCTIO? — Haec est quaestio, quae nunc sponte oritur. Agitur proinde de natura huius vinculi. — Certe, aliquid debet remanere de priori cognitione, secus illa reproductio non bene explicari posset. Sed QUID est illud REMANENS? — **Resp.:**

1) Evidenter **non** est ille actus prior ut INCONSCIUS; Nam cognitio «inconscia» intelligi nequit. — CONSCIENTIA est aliquod elementum ESSENTIALE omnis cognitionis, quod urgetur contra multos philosophos modernos.

2) **Neque** remanet eadem numerice SPECIES IMPRESSA ex illo priori actu. Secus permansisset etiam illa sensatio (externa) olim habita, quae ab illa specie dependet, quod evidenter nemo affirmare vult. —

3) **Sed** remanet SPECIES IMPRESSA, non quidem FORMALITER, sed tamen VIRTUALITER. — Haec vocatur **«species rememorativa».** — Est practice idem ac **phantasma.** Vocatur ita propter facultatem (a qua semper bene distingui debet.) —

B. Quaenam est NATURA **huius** SP. REMEMORATIVAE? — **3 S.:**

1) Plato, St. Augustinus, Leibnitius et alli dicunt, SP. REMEMORATIVAM esse elementum MERE PHYCHICUM; — esse aliquam perceptionem inconsciam. —

2) Ribot et alii Physiologi moderni putant, esse aliquod elementum mere PHYSIOLOGICUM; —

3) Multi Scholastici dicunt, SP. REM. esse accidens TOTIUS COMPOSITI ut talis. (Similiter affirmant plurimi Physiologi moderni, uti v. gr. Wundt, etc. etsi ex falsis rat.) —

C. NOS: — Evidenter non valet 1.ª sententia; — nam omnis sensatio est operatio totius compositi, non solius animae. 2.ª sententia esset solutio sufficiens quoad certos casus, in quibus finaliter sufficeret simplex reproductio materialis, uti v. gr. aeque bene fit in «Phonógrapho» et in similibus apparatibus. — Sed non sufficit, si agitur de communi reproductione phantasmatum quorumlibert, saepe post paucas vel etiam unam tt. experientiam habitam. — Ideo praeferenda est 3.ª sententia, i. e. SP. REM. ne-

cessarie constare ex dispositionibus MIXTIS, i. e. esse qualitatem **totius** Compos.

Argumentum: (Constat ex certis factis) — 1) Possum mihi imaginare Petrum cum statura vel maiori vel minori. ATQUI: — Hoc fieri non posset, si SP. REM. esset tt. el. mat.

2) Secus Phantasia non posset producere NOVAS formas. —

Corollarium: 1) Quomodo hoc explicatur? — Optime solvitur quaestio per applicationem ASSOCIATIONIS, uti jam diximus in St. Q. — Id est: Simul cum el. physico manet associatum elementum psychicum; — ideo, resuscitato uno qualicumque ex causa, eo ipso et statim resurgit etiam alterum. — 2) Ipsa argumentatione etiam indicavimus, Phantasiam etiam novas formas (inter se associatas) formare posse. Et hoc facillime intelligi potest, quia agitur de functione vere VITALI.

THESIS XVII. Etiam homini convenit instinctus, cui quidem non convenit munus discurrendi.

ST. Q. Nexus: — In Th. III. dicitur, animalibus brutis convenire instinctum; — in Th. IV. acuratius exponitur eius natura. — Nunc in Th. XVII. probatur, talem etiam homini convenire, sed non tamquam munus discurrendi, uti nonulli falso putabant. —

A. Definitio: — INSTINCTUS =» Facultas formandi «judicia» (sensu tt. latiori uti patet) naturalia de rebus naturalibus exsequendis». — **NB:** — Per associationes innatas, debitis conditionibus externis exsurgentes, excitatur aliquod phantasma (= aliqua imago) operis exsequendi, quin utilitas tamquam talis cognoscatur. — (est evidens, secus esset vis spiritualis, quae nulli sensui convenire potest.) — In homine vocatur «VIS COGITATIVA»; — in bruto etiam vocatur «VIS AESTIMATIVA». — In homine eius functio minus clare aparet, quam in brutis, praecise, quia homo gaudet facultate intellectiva. (Utique, in infantulis clarius manifestatur, quam in adultis.) —

B. Adversarii: — Avicenna, St. Thomas et multi Thomistae putant, INSTINCTUM in homine esse facultatem DISCURRENTEM et conferentem (cf. ratio particularis aliqua). —

C. NOS: — (cum Suaresio) negamus, esse munus discurrens, quamvis concedamus, esse in homine munus nobilius et excellentius quam in brutis (quia in homine est instrumentum intellectus). — **NB:** In homine sunt multae affectiones et apprehensiones innatae. —

Pars I. Etiam homini convenit instinctus: — A Affect. innati:

Argumentum: Constat clarissime ex experientia. — V. gr. jam in infantibus observatur affectio innata rei gratae et ingratae. — Cf. instinctus curiositatis, etc. — Cura matris erga prolem est fortissima affectio INNATA, amor innatus (= instinctus innatus). — **B. Apprehensiones:** Cf. nutritio infantuli.. —

Pars II. Negamus, instinctum proprie discurrere: —

Arg. 1. (Ex comparatione cum animali bruto) — In brutis evidenter non est facultas discurrens. — ATQUI: — Tunc idem valet de instinctu honinum (quia est eiusdem ordinis et conditionis sensitivae, licet accidentaliter sit facultas nobilior). — ERGO: — Non est discurrens. —

Arg. 2. (Ex natura judicii) — Judicium vel discursus etiam de rebus maxime concretis et simplicissimis semper supponit, Subiectum cognoscere identitatem terminorum. ATQUI: — Talis cognitio jam includit multiplicem abstractionem, quae intellectui est propria. — ERGO: — Talis functio discursiva instinctui non convenit, utpote fac. sensitivae.

Corollarium: — Sed INSTINCTUS ostendit magnam similitudinem vel AFFINITATEM cum operatione intellectiva, et quidem etiam in homine. ERGO:..? — Resp.: Est similitudo SUBJECTIVE et FORMALITER? — Nego. — OBIECTIVE et MATERIALITER? — C.

THESIS XVIII. Datur vera memoria sensitiva. —

ST. Q. Nexus: Bruta (et non tt. hominem) habere memoriam sensitivam, hoc clare constat iterum ex Thesi III — Sed nunc quaeritur de NATURA huius facultatis. — Potestne animal brutum cognoscere praeterita qua praeterita, an tt. simpliciter? — Resp.: Cognoscit non tt. et simpliciter ipsa praeterita, sed ea cognoscit qua talia, i. e. **qua** «praeterita», utique, non modo abstracto (sicut homo hoc potest ope memoriae suae intellectualis), sed tt. modo **concreto. —**

Adversarii: — Non negant, animalia bruta retinere posse praeterita, sed negant, ea cognoscere posse TAMQUAM talia, i. e. tq. praeterita. — (cf. v. gr. Lahouse, etc.)

Argumentum: VERA est illa memoria, quae potest percipere praeterita **ut** praeterita. — ATQUI: — Memoria sensitiva praeterita ut praeterita percipere potest. — ERGO: —

Ad min: 1) Constat ex experientia, v. gr.: Canis domesticus aliter sese gerere solet redeunte domine post longam ausentiam, ac si ausentia durat tt. breve tempus. — 2) Ex comparatione cum perceptione spatii: — Animal clare distinguit (utique concrete et non abstracte) inter parvam et longam distantiam in spatio; — ATQUI: — Tunc apari debet idem posse relate ad tempus praeteritum. — ERGO:... —

Corollarium: Si accuratius investigatur disputatio inter nos et Lahouse, tunc videtur esse lis de verbo. — Saltem illa perceptio (de qua in **arg.**) etiam aliter explicari videtur.

THESIS XIX. Superficies jam e nativitate, tertia autem dimensio non nisi per experientiam percipitur.

ST. Q.: 1) Loquimur tt. de VISU et TACTU, in quibus solis dimensiones percipi possunt. — Non loquimur de auditu, neque de olfactu, neque de gustu, quia ab illis neque

superficies, neque tertia dimensio percipi potest. (Utique: AUDITU aliquo modo sed valde imperfecto, ipsa distantia inter nos et obiectum percipi potest.) — 2) Superficies est prima et secunda dimensio simul. — 3) Tertia dimensio est **a)** illa, ratione cuius corpus percipitur ut corpus (et non ut mera superficies, uti v. gr. Sol, Luna, stellae, — et hoc propter earum distantiam tam immensam); — **b)** in Thesi concipitur etiam ut 3.ª dimensio ipsa DISTANTIA inter obiectum et NOS. — 4) Loquimur tantum de homine et non de animalibus bruis, in quibus etiam 3.ª dimensio probabilissime jam ab initio vitae ut talis percipi videtur, sine ulla experientia. 5) TH. est solide probalis, immo et psychologice certa. (NB: Non dicimus, esse «certum, sed dicimus, essse «psychologice» certum, i. e. correspondere certis phaenomenis a nobis perceptis.) — Si aliquis affirmaret, esse certitudinem etiam criticam, tunc eo melius pro Thesi. — Th. habet 2 part.:

Pars I. Superficies jam e nativitate percipi potest:

A. Quoad VISUM: — **Arg. 1.** Est factum plane notum. — Nam jam ipse infantulus statim ab initio vitae percipit COLORES. — ATQUI Colores percipiuntur tamquam quaedam superficies, i. e. ut res JUXTAPOSITAE (cf. D'Alembert) — ERGO:... — **Arg. 2.** Caeco natus et postea sanatus statim ab initio curationis clare distinguit inter diversas superficies (v. gr. inter superficiem rotundam et quadratam) — Cf. celeberrimus Franz. — ATQUI: — Tunc quilibet homo jam ab initio vitae idem percipere valet, secus illud factum non bene explicari posset naturaliter. — ERGO:... —

B. Quoad TACTUM: — **Arg. 1.** Caeco natus jam ab initio vitae percipere potest superficiem. (Constat ex certissimis experimentis.) — ATQUI: — Hoc solo TACTU fieri potest in tali casu. ERGO:... — **Arg. 2.** (idem sed alio modo): Caeco natus solo TACTU Spatium percipere potest. — (saltem per experientiam) ATQUI: — Talis experientia esset inexplicabilis, si non ante omnem experientiam perciperet extensionem vel superficiem, et quidem ope ipsius TACTUS (qui unice in quaestione venire potest). — ERGO:... —

Pars II. Tertia dimensio tt. empirice percipitur: (i. e: paulatim per experientiam.) — Sed quomodo explicatur? — **Resp:** Explicatur operatione ipsius PHANTASIAE. —

A. Quoad VISUM: — **Arg. 1.** (Probatur POSSIBILITAS): V. gr. in aliqua pictura adest tt. 1.ª et 2.ª dimensio; — Attamen. ipsa nostra PHANTASIA construere solet etiam 3. dimensionem (cf. Fig. in pagina 9.ª Psychologiae-Experimentalis). — ATQUI: Si jam in tali casu illam fingere vel construere potest, tunc a fortiori capax erit, nobis talem ostendi, si de facto in obiecto invenitur. — ERGO:... — **Arg. 2.** (Probatur FACTUM): —**a**) Infantuli initio vitae non percipiunt DISTANTIAM inter se et obiectum perceptum. Ideo v. gr. tangere volunt omnia, quae vident, quantumvis distantia, uti stellas, lunam, etc. — ATQUI: Hoc evidenter non fieret, si jam ab initio cognoscerent illam distantiam. — ERGO:... — **b**) Etiam Caeco natus initio tt. superficiem percipit. EXEMPLUM: In aliqua Clinica quidam caeco natus et postea sanatus, noluit statim progredi, non obstante magna Aula, in cuius parte media stabat. Noluit progredi, quia putavit, sese jam tangere murum. — Tantum paulatim et magna admiratione sua, pervenit ad convictionem, murum esse in sat magna distantia. ERGO: — Non nisi lente et paulatim potuit pervenire ad perceptionem tertiae dimensionis, scilicet distantiae inter se et obiectum. — (cf. Ex. eiusdem celeberrimi Franz.) — Porro, id quod in tali casu valet et quidem semper in similibus adjunctis, aeque bene valet pro initio vitae cuiusvis hominis; — secus ille modus sese habendi (in caeco nato et postea sanato) non bene explicari posset. — ERGO:... — **Arg. 3.** (Probatur NECESSITAS) — Nam: — In retina nullo modo projicitur tertia dimensio, et quidem neque tertia dimensio ipsius corporis percepti, neque ipsa distantia inter Subiectum et Obiectum. — De facto, quomodo v. gr. ipsa distantia inter Subiectum et Obiectum imprimi posset in retina, hoc non intelligitur. — ERGO:

B. Quod TACTUM: — Probata II.ª parte relate ad VISUM, tunc a fortiori valet nostra sententia relate ad TACTUM. — Deinde etiam in hoc casu certo constat, Caeco-natum non nisi paulatim pervenire ad perceptionem

distantiae, et quidem ope solius TACTUS, uti patet. — ERGO:... —

THESIS XX. Localisatio in qualibet sensatione fit secundum communes leges «associationis». —

ST. Q.: Dicitur: «In qualibet» sensatione. Ideo valet etiam pro sensatione ipsius proprii Corporis, quod brevissime probatitur in sequenti argumento. — Thesis ipsa non est tanti momenti. — (NB: — NEXUS: — In Thesi XIX. agitur de perceptione Obiecti externi; — hac in Thesi agitur de perceptione proprii CORPORIS.). Illa lex, de qua est quaestio in Thesi, sic sonat: «Quaelibet sensatio in eo loco spatii projicitur, cuius imago (visualis) per hanc sensationem excitatur, et cum ea conjungitur.» — En, iterum casus specialis vel applicatio aliqua concreta celeberrimae legis associationis. —

Argumentum: «Sensatio in eo loco spatii projicitur, cuius imago (visualis) per hanc sensationem excitatur et cum ea conjungitur». (cf. Def. in ST. Q.) — ATQUI: — Haec lex de facto est universalis et valet proinde etiam in nostro casu, i. e. quoad perceptionem proprii corporis. — ERGO:...

Ad min: — Cf. Thesis XIII. — Ibi expresse probavimus, Localisationem SUBIECTIVAM sensationis projici ad extram, i. e. ad finem normalem illius nervi correspondentis, ubi generatim irritatio vel excitatio fieri solet.

Corollarium: Idem etiam aliter exprimi potest, scilicet: «Omnis excitatio alicuius nervi tactilis, quocumque loco facta, semper sentitur in fine eius periferico». — Ita v. gr.: 1) Nervus OPTICUS in statu normali non excitatur, i. e. non irritatur nisi in fine normali. — Attamen in aliquo casu extraordinario etiam in alia parte excitari posset, et tunc cum simili effectu; i. e. in hoc casu oritur aliqua sensatio visualis, non obstantibus oculis forte totaliter destructis. — 2) Aliud EXEMPLUM: V gr. Nervus sensoricus inter manum et cerebrum excitari potest modo extraordinario non in fine eius normali, sed in alia parte su-

periori. Quid in hoc casu? — Resp.: Dolor non sentitur in illa parte excitata (uti secus supponi solet), sed iterum in ipsa manu. — Cur? — Quia manus est finis NORMALIS, ubi excitatio generatim fit, et in quem locum ipse dolor projici solet. —

Nota: Haec PROJECTIO bene distingui debet ab alia projectione, quae explicatur in Optica. — Ideo, nostra vocatur non physica, sed «PSYCHOLOGIA». — Est magni momenti et nobis totum fundamentum praebet ad Thesim XIII. solide et rite probandam. — (cf. Argumentum et NOTAM alibi.) —

THESIS XXI **Ad vitam sensitivam, praeter cognitionem, pertinet etiam appetitio et affectio, ut operationes organicae. —**

ST. Q.: — **Nota:** Loquimur de appetitu elicitivo SENSITIVO et de Affectu SENSITIVO. — **NB:** Thesis est magni momenti. —

Conceptus:

I. Appetitus: = Inclinatio vel tendentia aliqua. Sumi potest:

1) ut **naturalis:** = Tendentia rei in bonum sibi ipsi proprium indita ipsi naturae rei. — (ideo vocatur «naturalis».) — S. **lato** valet de Anorganicis; — S. **stricto** de Viventibus tt. — V. gr.: Oxygenium habet talem tendentiam naturalem, sese uniendi cum Hydrogenio. — Vel quodlibet corpus naturaliter attrahitur a terra. — Vel quodlibet ens naturale vult permanere in illo statu, in quo hic et nunc versatur; — etc... — En: Appetitus naturalis sensu latiori. — Exempla pro Appetitu naturali sensu strictiori: Planta sese dirigere solet erga Solem (= «Heliotropismus») — Radix cuiuscumque plantae tendit ad terram. Etc... —

2) ut **elicitus:** — Est tendentia in bonum COGNITUM. — V. gr.: Animal brutum inclinat vel tendit vel appetit cibum visum. Aliud exemplum: Fugit dolorem perceptum, etc. — Porro: Hic Appetitus ELICITUS iterum **bifarie** sumi potest, scilict: ut **a) rationalis:** Est Ap-

petitus, sequens cognitionem INTELLECTUALEM vel SPIRITUALEM; — invenitur in OMNIBUS et solis INTELLECTUALIBUS. — (in Homine et in Angelo, immo et in DEO). — Exempla: — In aliqua tentatione homo virtuosus ELICITE appetit virtutem; — Philosophus ELICITE studiis philosophicis operam dat; — Beatus in Caelo ELICITE (licet necessarie) appetit DEUM immediate et intuitive visum; — etc.... —

b) **Sensitivus:** — Est Appetitus, sequens cognitionem mere sensitivam. — (invenitur in OMNIBUS et SOLIS entibus sensitivis.) — Ideo invenitur in omnibus hominibus et in animalibus brutis, sed nullo modo inveniri potest in Angelis. — Exempla: — Homo, qua ens sensibile, fugit dolores et per se appetere solet sensibiliter grata, nisi ex altioribus motivis et considerationibus contrarium faciat. — Alia exempla cf. supra, ubi agitur de Appetitu «ELICITO» in genere. —

II. Affectus: — Est modus pure SUBIECTIVUS, quo Subiectum reagere solet ad suas cognitiones diversas. — V. gr.: Ira, Odium, Gaudium, Laetitia, Tristitia, Metus, Spes, Inpatientia, Patientia, etc,... — **NB:** — Quamvis sit vera actio IMMANENS, nihilominus, ipsum Subiectum mere PASSIVE sese sentire solet. — Sicut Appetitus, ita etiam Affectus **bifarie** sumi potest, scilicet:

1) **Rationalis:** — Omnibus et SOLIS entibus rationalibus convenit. (ideo convenit ipsi DEO, Angelis et Hominibus.) —

2) **Sensitivus:** — Omnibus et SOLIS entibus SENSITIVIS convenire potest, scilicet ipsis Hominibus et animalibus brutis, non autem Angelis, a fortiori non ipsi DEO; —

III. Operationes «ORGANICAE»: — I. e. operationes TOTIUS Compositi et non solius animae. — Sic v. gr. INTELLECTIO, VOLITIO, etc., sunt operationes NON organicae, quia non efficiuntur a toto Composito. — Omnes autem functiones SENSITIVAE, sive cognoscitivae, sive affectivae, sive appetitivae, sunt semper ORGANICAE, i. e., efficiuntur a **toto composito,** et non a sola Anima. Affectiones et Appetitiones etiam esse ORGANICAS, hoc probabitur in II.ª Parte huius Thesis.

Pars I. Omni animali convenit et appetitus et affectus:

Argumentum: (Clarissime constat ex experientia): Nam, in animalibus brutis apparent: 1) Clara et certissima signa **affectuum** - v. gr. Irae, odii, gaudii, timoris, etc...; — 2) Certi et determinati Motus Spontanei vel (quod est idem) **«appetitus»**; — v. gr. appetunt scienter et volenter cibum VISUM, fugiunt pericula et dolores, etc... — ERGO:... —

Pars II. Affectio et appetitus (sensitivi) sunt operationes organicae:

Argumentum: Ipsa Cognitio sensitiva evidenter est operatio ORGANICA, i. e. Effectus TOTIUS COMPOSITI; — (cf. Thesis VII.) — ATQUI: — Tunc prorsus IDEM valet de APPETITU et de AFFECTU (sensitivo) — ERGO:... —

Ad min: Quia sunt EIUSDEM ORDINIS et PERFECTIONIS, scilicet: — **1)** Eadem sunt ipsa **obiecta. 2)** Eadem est OMNIMODA dependentia ab elemento organico et corporali. — ERGO:... **3)** Ipsa intensitas AFFECTIONIS et consequenter et APPETITIONIS non unice dependet a cognitione (sensitiva), sed etiam et quidem magnopere dependet a dispositionibus physiologicis ipsius Organismi. Ergo:...

Corollarium: Uti clare elucet ex Figura A. paginae primae Psychologiae Experimentalis, ipse appetitus in animalibus brutis necessarie praesupponit certam et determinatam affectionem, secus nullus appetitus sequi potest et consequenter nulla reactio relate ad obiectum sensitive perceptum. — Nihilominus, ipsa affectio, quamvis ordinarie procedat ex aliqua perceptione, per accidens etiam oriri posset sine cognitione IMMEDIATE praecedenti, uti clare sequitur ex illis, quae dicta sunt in argumento. Immo, etiam ipse Homo sese saepe ad certos affectus inclinantem sentire solet, quin praecedat correspondens cognitio (sensitiva). — Quomodo hoc explicari potest? — **Resp.:** Solutio est facillima. Iterum intrat lex Associationis. — Ita v. gr. IRA mediante associatione TRISTITIAM causare potest, etiam sine ulla cognitione correspondenti.

THESIS XXII. Appetitio et affectio specifice differunt a qualibet cognitione, immo et inter se.

ST. Q.: In Thesi XXI. agitur de EXISTENTIA et de NATURA vitae appetitivae et affectivae; — in hac Thesi XXII. agere debemus de RELATIONIBUS utriusque functionis inter se et relate ad cognitionem. — Ut melius et clarius intelligatur Thesis, inspiciantur illae 2 Figurae, quae videntur in pagina 1.ª Psychologiae-Experimentalis. — Patet, ipsam Thesim valere de utraque vita, scilicet de inferiori et superiori. — Nihilominus hic explicite non agitur nisi de sola parte SENSITIVA. — De parte spirituali erit quaestio in Tractatu II.º huius materiae, ubi loquimur de Psychologia RATIONALI. — Thesis ipsa implicite continetur in Th XXI.

Pars I. Appetitus specifice differt a qualibet cognitione:

Arg. 1. Iam praesupponit cognitionem, quod clare elucet ex experientia. — ERGO: — Evidenter non potest esse idem ac ipsa cognitio. — (cf. Figura A. paginae 1. Psych. Experimentalis.)

Arg. 2. In omni appetitione Subiectum relate ad Obiectum tt. ACTIVE sese habet et nullo modo passive. (Ideo St. Thomas dicit, subiectum inclinare ad obiectum sibi propositum, ut sibi gratum).
ATQUI: — In Cognitione idem Subiectum, saltem initio mere PASSIVE et RECEPTIVE sese habet. (Utique, postea etiam active, uti patet). — ERGO: — APP. et COGNIT. diff.

Arg. 3. (idem alio modo)

In appetitu Subiectum quodamodo tendit, **inclinat** ad Obiectum; — in cognitione autem ipsum Obiectum inclinat ad Subiectum. — ERGO: — Evidenter sunt facultates specifice diversae.

Pars II. Affectio specifice differt ab omni cognitione:

Arg. 1. Causa et effectus evidenter et specifice differunt inter se (uti patet ex Principio Causalitatis). — AT-

I.P. A. 1. Appetitus praesupponit cognitionem. E. non potest esse idem ac ipsa cognitio.
A.2. In app. subjectum inclinat ad obj., in cognitione obj. inclinat ad subj. E.

QUI: — Cognitio relate ad Affectum sese habet sicut causa ad suum effectum. — ERGO: — Specifice differunt inter se. —

Arg. 2. In omni cognitione adest relatio DIRECTA ad ipsum Obiectum. (Ideo, cognitio habet characterem «OBIECTIVUM», uti jam St. Thomas affirmat). — ATQUI: In Affectione nulla adest relatio directa ad ipsum Obiectum. (Ideo, est modus MERE SUBIECTIVUS, quo Subiectum reagere solet ad suas diversissimas cognitiones vel perceptiones; — ideo, adest character mere SUBIECTIVUS; — cf. v. gr. **Pfänder** et alii Physiologi et Psychologi moderni. —) ERGO:... differunt...

Arg. 3. In AFFECTU Subiectum ipsum mere PASSIVE sese habet, (ideo recte vocatur «**passio**»), quamvis ipsa affectio **in se** sit vera et proprie dicta ACTIVITAS IMMANENS. — ATQUI: In Cognitione Subiectum non tt. passive sed etiam et eminenter ACTIVE sese sentit. ERGO: Sunt facultates diversae.

Pars III. Appetitus et affectus specifice differunt etiam inter se:

Arg. 1. Affectus est status mere SUBIECTIVUS; i. e.: Subiectum mere SUBIECTIVE sese sentit. (cf. PARS II.). — ATQUI: — E contra, Appetitus ostendit characterem prorsus OBIECTIVUM ERGO: — Appet. et Affect. specifice differunt inter se.

Arg. 2. Affectus ad Appetitum sese habet sicut Causa ad suum Effectum. — ATQUI: — Tunc evidenter differunt. ERGO:...

Arg. 3. Affectio psychologice spectatus est status mere et proprie PASSIVUS, (quamvis sit in se vera activitas immanens; — cf. supra.) — i. e. Subiectum ipsum vere et proprie PATITUR. (ideo Nomen). — ATQUI: — In Appetitu idem Subiectum vere, immo et mere ACTIVE SESE sentit. (cf. Pfänder) — ERGO:

Arg. 4. Affectio saltem interdum et per accidens SINE ulla correspondenti et actuali cognitione oriri et permanere potest. — ATQUI: — Appetitus **elicitus**, de quo

unice est quaestio hic et nunc, ex suo conceptu praesupponit aliquam perceptionem vel cognitionem. — ERGO: Affect. et App. differunt.

Corollarium: Quamvis non directe pertineat ad ipsam Thesim, nihilominus valde interest sequens observatio: 1) Quoad **Appetitum** SENSITIVUM et INTELLECTIVUM: **a)** Inter se essentialiter differunt ratione SPIRITUALITATIS appetitus superioris; — **b)** ratione LIBERTATIS, quae est aliqua proprietas essentialis voluntatis, saltem sub certis conditionibus; — in appetitu autem sensitivo numquam et in nullo casu inveniri potest. — **c)** Differunt ratione DEPENDENTIAE a correspondenti AFFECTU. Nam, sine praecedenti affectione, ipse appetitus sensitivus munere suo fungi nequit. E contra: Appetitus spiritualis vel voluntas, licet generatim et ordinarie maximum influxum accipiat a parte affectiva, nihilominus ab ea abstrahere, immo prorsus contra impulsum AFFECTIVUM procedere valet (uti fieri solet praesertim in actibus vere heroicis, i. e. in maximis tentationibus), dummodo ipse intellectus proponat suum motivum correspondens. — Ideo: In vita hominis spirituali, actus cognoscitivus non tt. indirecte mediante affectione ipsam volitionem influere potest, sed etiam DIRECTE et independenter a correspondenti affectione (immo et contra uti modo diximus); — quod esset plane impossibile in parte SENSITIVA. — 2) Alia observatio quoad **affectum** SENSITIVUM et INTELLECTIVUM erit: — Praetermissis illis, de quibus modo locuti sumus, notanda sunt breviter sequentia: **a)** Magna est influentia affectionis SENSITIVAE in affectum, immo et in totam vitam superiorem et spiritualem (sive intellectualem, sive moralem) ipsius hominis. Attamen, adhuc maior et fortior erit influxus quem, affectus SPIRITUALIS exercere valet in partem inferiorem, sensitivam. — Hoc optime et clarissime probavit **Dr. Dubois** in suo Opusculo «Die Einwirkung des Ceistes auf den Leib». Ideo **b)** Non obstantibus quibuscumque affectionibus vel passionibus inferioribus, (uti v. gr. fit in magnis tentationibus contra sanctam Virtutem, vel in aliqua melancholia chronica et hereditaria, etc.), ipse spiritus, i. e. Anima in sua facultate superiori prorsus et maxime laetari valet, dummodo sciat dirigere et gubernare suas emotiones inferiores, tamquam aliqua «Regina» vera et sui juris. — **c)** Experientia quoti-

diana, tum interna, tum externa constat, vitam affectivam nostram, sive sensitivam, sive intellectivam, nullo modo esse spernendam et consequenter non negligendam. — Notum est, quam magni momenti sit v. gr. pro sanitate mere corporali ipsa laetitia SENSITIVA, praecique autem laetitia spiritualis vel INTELLECTUALIS. — Utraque proinde servari debet. Laetitia inferior vel sensitiva directe coli solet ipsa SANITATE corporali rationabiliter conservanda, in quantum conditiones et circumstantiae permiserint. Gaudium autem SPIRITUALE (praesertim **morale**). absolute et semper appeti potest, (et dependenter a GLORIA DEI, utpote FINE ABSOLUTE ULTIMO), scilicet per ordinem MORALEM rite conservandum, scilicet per vitam bonam, sanctam et justam. — Tunc affectio summe et vere positiva in dies magis ac magis augetur et conservatur, id est PAX et TRANQUILITAS animae non obstantibus conditionibus quibuscumque et quantumvis adversis.

Scholium: Clare probavimus, APPETITUM et AFFECTUM esse diversas facultates psychicas proinde exercere diversas functiones vitales. — Falsum autem esset, si aliquis putaret, ipsas DIVERSAS affectiones supponere iterum diversas et speciales facultates, uti nonulli Psychologi et Physiologi moderni falso affirmarunt. Ita v. gr.: Gaudium et Tristitia (sensit.), licet sint affectus plane et absolute diversi, nihilominus sunt effectus **eiusdem** causae i. e. procedunt ab eadem facultate AFFECTIVA. — P. Fröbes in aliqua parte speciali hoc probat. — Brevitatis causa, omisimus hanc partem, utpote sat facilem et veritatem claram. — Cetera huius materiae explicantur in Psychologia-Experi.

THESIS XXIII. Motus spontaneus reducitur ad associationem inter imaginem motus et eius excitationem in cerebro. Ideo non est facultas aliqua specialis.

ST. Q.: A. Conceptus: — Motus «SPONTANEUS» = ille, qui procedit ex propria «initiativa» vel ex «spontaneitate» ipsius Subiecti; — aliis verbis: est ille motus, qui attenditur et INTENDITUR ab ipso Subiecto et conse-

quenter praesupponit cognitionem et appetitionem. — (In homine Motus spontaneus est finaliter idem ac «voluntarius», sed non est idem ac motus «liber», uti patet.)

B. Controversia: — Oritur nunc quaestio, utrum sit aliqua facultas nova et specialis, an non? — Estne forte aliqua mera potentia vel habilitas PASSIVA membrorum, uti URRABURU affirmat? — SUARESIUS dicit, esse facultatem specialem, ab appetitu DISTINCTAM, a quo quidem imperari, non autem elici valeat. — CAIETANUS et fere omnes Thomistae aliter affirmant. Dicunt: «Appetitus immediate et ACTIVE **elicit** motum, qui a membris non efficitur, sed tt. recipitur.» — Ideo mot. spont. est mera habilitas aliqua. — Sed ex mente ipsius Urraburu oritur magna difficultas, i. est: Quomodo appetitus imperare potest motum, quin ipse sciat, per quosnam musculos ille motus exercendus sit? — Et quomodo imperare potest, quin sciat, per quosnam nervos ipsa excitatio transmittenda sit? — Resp.:

C. Solutio: — Initio vitae non existunt in homine, nisi motus «REFLEXI», i. e. sine ullo imperio ex parte ipsius appetitus, et sine ulla cognitione. V. gr. Tussis, etc. Deinde oriuntur motus voliti vel «spontanei». — Sed quomodo hoc fit? — **Resp.:** Explicatio cf. in COROLLARIO et in Psychologia-Experimentali, i. e. Figura in pg. 2.ª cum explicationibus correspondentibus ibi notatis.

IDEO CONCLUSIO: «Motus Spontaneus» explicari debet per associationes, et **non** provenit ab aliqua facultate speciali.

Pars I. Explicari debet per associationes:

Arg. 1. Constat ex certissimis **Experimentis;** — Nam: 1) Certa excitatione (artificiali et a fortiori naturali) ipsius cerebri omnes prorsus membrorum motus PASSIVE effici possunt. — 2) Transitus a cognitione (imaginis) ad excitationem et inde ad motum in membro executum optime per legem associationis explicatur. (cf. COROLLARIUM.)

Arg. 2. Constat ex phenom. et casibus abnormalibus. Ita v. gr. phenomena «**Apraxiae**» et «**Aphasiae**» sic bene explicantur.

Pars II. Ideo, vis motrix non est facultas specialis.

Argumentum: quia non **requiritur.**

Corollarium: EXPLICATIO POSITIVA: (cf. Psych. Experimental.) 1) Initio vitae adsunt tt. motus mere reflexi. V. gr. motus pedis, etc. — 2) Hic motus percipitur in cerebro ope correspondentis centri sensorici. — 3) Statim oritur prima associatio, quae vocatur «SENSO-MOTORICA». — 4) Postea (occasione data), parvulus videt pedem motum. 5) Statim oritur et paulatim fortificatur associatio «senso optica». — Nunc infantulus capax erit ad suum primum motum «SPONTANEUM» vel «ELICITUM» exsequendum. — Ideo: 6) Pedem movere vult. — 7) Ideo (propter unionem substantialem inter corpus et animam) eo ipso excitatur centrum opticum, et ope associationis eo ipso etiam centrum sensoricum. (et sic oritur prima associatio «retrógrada» inter haec 2 centra. — 8) Eo ipso etiam excitatur c. motoricum propter illam associationem senso-motoricam. Et sic statim nova associatio-retrógrada fieri solet, scilicet inter c. sensoricum et c. motoricum. — 9) Porro, ipsum c. motoricum excitat et movet nervum motoricum, qui ex sua parte (ope musculi) movere potest ipsum pedem; — et sic ortus est de facto primus motus elicitus.

THESIS XXIV. Habitus non est nova qualitas ipsi facultati inhaerens; sed reducitur ad associationes inter species rememorativas, secundum leges communes.

ST. Q.: A Habitus: — 1) DEFINITIO: — Est qualitas permanens et de se stabilis, potentiam vel facultatem adjuvans, ut expedite et facilius opus exsequi possit. — 2) Ipse EFFECTUS est 3plex, scilicet: **a)** FIRMITAS vel STABILITAS. — **b)** PROMPTITUDO in opere exsequen-

do; **c**) DELECTABILITAS, ita ut vigor et energia in difficultatibus superandis valde augeatur. — 3) ORTUS: — Habitus oritur per ipsos actus, et quidem ita: Crescente numero actuum, crescit etiam intensitas ipsius Habitus. — NOTA: Haec intensitas dependet: **a**) ab attentione; — **b**) ab intensitate ipsius operantis; — **c**) a numero repetitionis; — **d**) a conditionibus et dispositionibus Organismi. — 4) DIVISIO: — **a**) Habitus **cognoscitivi; b**) H. **operativi;** quae iterum possunt esse, vel **aa**) affectivi; — **bb**) appetitivi; — Hi iterum sunt aut moraliter BONI aut moraliter MALI, (i. e. in quantum agitur de operationibus non «HOMINIS» sed stricte «HUMANIS». — 5) DIMINUTIO fieri solet: **a**) Otio vel per omissionem; — **b**) praesertim actibus contrariis. — (Hoc ultimum magni momenti esse, praesertim pro vita morali, est evidens.)

B. Controversia: — Certe, Habitus non est mera remotio impedimenti, sed est aliqua dispositio POSITIVA. — Sed estne NOVA qualitas ipsi facultati inhaerens, an non? — Haec est difficultas. — Secundum maiorem partem Scholasticorum ipse Habitus esset aliqua facultas NOVA, i. e. aliquod accidens distinctum ab omnibus speciebus rememorativis, potentiam vel facultatem informans tamquam virtus secundaria. — **NOS** autem, cum de Lugo et aliis dicimus, **non** esse novam qualitatem, sed reduci debere ad associationem inter species «REMEMORATIVAS», et quidem secundum leges communes, nobis plane notas. **Exemplum:** — In ebrietate v. gr., ad associationem inter species cognoscitivas accedit elementum AFFECTIVUM, i. e. ipsa DELECTATIO sensibilis, quam Alcool causare solet in certis hominibus; — Porro, eo ipso, quo tale individuum cogitat de vino, etc., eo ipso (ope associationis tam frequenter repetitae et sic corroboratae) surgit el. affectivum, i. e. illa DELECTATIO, saepe vehemens, et sic impellit ipsum appetitum, ad illud obiectum amplectendum vel attingendum. — Sic facillime omnes Habitus, et speciatim operativi, sive BONI, sive MALI, explicari possunt.

Argumentum: Thesis valet, si Habitus perfecte explicari potest per ASSOCIATIONEM SPECIERUM. — ATQUI: — Perfecte sic explicatur. — ERGO: Thesis valet.

Ad min: — A. Quoad Habitus COGNOSCITIVOS:

1) Species rememorativas existere, hoc clare elucet ex Thesi XVI. — 2) Has species inter se associari posse, hoc etiam evidenter sequitur ex variis Thesibus. (cf. v. gr. Th. IV. — Th. XIII. — Th. XVI. — Th. XX.). — **NB**: Ex causa aliqua materiali ipsa associatio aliquando debilitari, imo etiam totaliter destrui potest, uti vidimus quoad «Aphasias», etc.

B. Quoad Habitus APPETITIVOS:

In hoc casu adhuc facilius explicari potest. Nam, accedit VIVIDA **Affectio.** — Exempla: — 1) In ebrio exsurgit recordatio DELECTATIONIS (causatae ex potu et ex praesentia eius sociorum) etc. — Accedit recordatio similis actionis tam saepe repetitae, ideoque surgit etiam DESPERATIO resistendi in hac nova occasione. — 2) Homo virtuosus alia ex parte, recordatione (tam grata) vitae virtuosae eiusque DELECTATIONIS annexae, (et quae ope associationis de novo oritur) contra vitia semper fortius et in dies cum maiore energia et alacritate procedere valet.

Corollarium: Momentum huius Theseos per ipsum argumentum et praesertim ex exemplis allatis clarissime elucet. — Ars vitae vere sanctae magnopere dependet a formatione H. bon.

— II —

PSYCHOLOGIA RATIONALIS.

DE INTELLECTU.

DE VOLUNTATE.

DE ANIMA.

Nota: — Ipsi VETERES (scilicet Aristotelici, Platonici et Scholastici Medii Aevi) et Scholastici Recentiores magna ex parte praesertim et principaliter excoluerunt ipsam PSYCHOLOGIAM RATIONALEM. — Pychologiam sensitivam (sed haec non confundi debet cum Psychologia-Experimentali vel Empirica) autem minus colere solebant. — Moderni autem Philosophi (inter quos nonnulli Scholastici eminent, uti v. gr. P. Fröbes, P. Lindworsky, P. Brunner, P. De Fries et alii) in dies magis ac magis excolere solent etiam PEYCHOLOGIAM SENSITIVAM, quae pertinet ad PARTEM I. (supra tractatam) Psychologiae SPECULATIVAE. — Nihilominus, PARS RATIONALIS Semper primum locum occupare debet ratione DIGNITATIS et NECESSITATIS. — De facto, fundamentum solidum et quodammodo finis vocari potest partis sensitivae.

THESIS XXV. Intellectus, utpote facultas cognoscitiva spiritualis, essentialiter superat sensum.

ST. Q.: Usque nunc locuti sumus de diversis facultatibus SENSITIVIS, scilicet de facultate cognoscitiva, affectiva et appetitiva. — Nunc incipimus cum vita intellectuali ipsius Hominis et agimus in primo loco de eius

facultate perceptiva spirituali, scilicet de ipso INTELLECTU. — Estne facultas essentialiter altior ipso SENSU, an non? — Duo sunt Systemata principalia: — SENSISMUS et INTELLECTALISMUS.

I. Sensismus: — (vel etiam «SENSUALISMUS») — Concedit, SOLUM Hominem habere intellectum, non autem animalia bruta, sed NEGAT, esse differentiam ESSENTIALEM inter facultatem intellectivam et sensitivam. — Dicit, esse tt. diff. GRADUALEM. Omnem cognitionem reducere vult ad meram SENSATIONEM. In hoc Systemate iterum 3 sensentiae distingui solent:

1) PHAENOMINALISMUS: — Dicit, nos nihil cognoscere, praeter rerum apparentias sensibiles.

2) EMPIRISMUS: — (vel «Agnosticismus» vel «Positivismus»); docet, quamlibet cognitionem metaphysicam esse negandam; — experientiam SOLAM esse fontem cognitionis; — Ita Locke,

3) ASSOCIATIONISMUS: — (cf. Evolutionismus ipsius Maher, etc) Dicit, omnem cognitionem reduci debere ad meras associationes; — similiter: — Stuart Mille, Ribot, Wundt, Titchener. — **NB:** — Etiam Condillac enumerandus est inter SENSISTAS.

II. Intellectualismus: — (Plato, Aristoteles, St. Augustinus, St. Thomas, St. Albertus Magnus, Duns Scotus, Suaresius, Lessius, Cartesius, et omnes Aristotelici et Platonici et omnes Scholastici, necnon varii Philosophi moderni, uti v. gr.: Brentano, Höfler, etc.) — Docent:

1) esse discrimem **essentiale** inter intellectum et sens.

2) scientiam qua talem necessarie esse cognit. INTELLECT.

3) existere VEROS conceptus universales.

NB: — Lahouse enumerat **munera**: — 1) ANALYSIS circa obiecta sensibiliter percepta. 2) Intellectus debet investigare eorum essentias; — 3) debet efformare ideas universales, reflexas; — 4) debet comparare essentias; — 5) JUDICARE; — 6) RATIOCINARI;

NB: — Possumus etiam ita distinguere diversa munera: — 1) ABSTRAHERE; i. e. formare conceptus univer-

sales; — 2) Cognoscere RELATIONES qua tales; — 3) RATIOCINARI; — 4) cognoscere IMMATERIALIA; — 5) REFLECTERE in se ipsum.

Nota; — Nolumus probare existentiam ipsius intellectus, sed eius differentiam ESSENTIALEM a sensibilitate.

Arg. 1. Intellectus est illa facultas, qua homo bruta superat. (in arte, scientia, vita morali et religiosa, etc. cf. Thesis V.). ATQUI: — Talis differentia est ESSENTIALIS: — ERGO: — Intellectus essentialiter superat sensum.

Ad min: — Nam animalia bruta numquam, ne quidem inchoative et in optimis conditionibus praestare possunt illa, quae attingi possunt ab intellectu. — E contra: — Homo ope suae facultatis intellectivae illa omnia praestare potest, etiam in pessimis conditionibus. (cf. Helene Keller, etc).

Arg. 2. Intellectus percipit UNIVERSALIA et ABSTRACTA.

ATQUI: — Talia essentialiter superant potentiam sensitivam. — ERGO:. . .

Ad. maj.: Hoc clare constat ex Critica; — i. e. intellectus potest, praetermissis omnibus notis concretis, unice attendere ad notas universales.

Ad min: Conceptus universalis nulla combinatione sensuum oriri potest. — Nam C. universalis natura sua abstrahit a qualibet determinatione concreta; — est immutabilis, perennis; — e contra: Phantasma est semper mutabilis; — nam, unicuique determinato obiecto correspondet semper unum determinatum et speciale Phantasma;

Arg. 3. Intellectus cognoscit IMMATERIALIA, (ens, possibilitatem, causam, effectum, Spiritum, DEUM, etc. . .) ATQUI: Sensus prorsus numquam, ne quidem inchoative attingere valet immaterialia, (quia non nisi imagines obiectorum sensibilium attingit.). — ERGO:. . .

Corollarium: Obiectio: — Haec Thesis est superflua, utpote contenta in Thesi V.ª? — **Resp:** — Nego. Ibi tt. probatur, animalia bruta intellectu carere. — Affirmare et probare, bruta intellectu carere, et probare, esse dif-

ferentiam essentialem inter sensum et intellectum, sunt res diversae. — Utique, ex ipsa argumentatione in Thesi V. logice derivatur Thesis XXV. — Ideo, Adversarii illius Theseos sunt generatim etiam Adversarii huius Th. XXV.

Scholium I.: Hac Thesi elucet maxima et essentialis differentia homines inter et animalia bruta, quae plane carent intellectu, uti probatum est in Thesi V. — Homo autem ornatus est hoc dono utpote optimo et excellentissimo inter omnia dona et ornamenta naturalia, uti dicit St. Thomas. Secundum verba eiusdem Doctoris Angelici Intellectus est «LUMEN NATURALE», nobis inditum, quo: 1) Homo essentialiter superat animalia bruta, etiam perfectissima; 2) quo cognoscere valet non tt. verum ut verum, sed prorsus omne verum (cf. Thesis XXVIII.), dummodo recte proponatur, ideoque cognitione intellectuali attingere potest ipsum DEUM, utpote fontem ontologicum omnis VERITATIS. — 3) Est finaliter illud LUMEN, quo Homo jam naturaliter fit quodammodo «IMAGO DEI», in oppositione ad entia irrationalia, quae mera DEI vestigia appellari possunt.

Scholium II.: Perpauca Verba de cognitione in **genere:** Sec. St. Thomam et Scholasticos quaelibet cognitio, sive intellectualis, sive sensitiva, est semper aliqua «ASSIMILATIO» inter Subiectum percipiens et inter Obiectum perceptum. I. e.: Obiectum quodammodo intrat in Subiectum, licet non entitative, non realiter, non physice, non formaliter, non taliter qualiter, sed tt. «REPRESENTATIVE» (cf. simili modo, ut v. gr. obiectum intrat vel imprimitur in Apparatu Photographico.). Ideo,3 phases semper distingui debent: 1) Actio et reactio PHYSICA; — 2) Actio et reactio chimica, vel physiologica, v. gr. in Retina, — 3) Reactio vitalis. Valet pro qualibet perceptione, mutatis mutandis; — (cf. Fig. pg. 11. Psychologiae Experimentalis.).

Porro: Ideo, Sensatio recte definiri posset: «Est perceptio MATERIALIS»; — vel: «est assimilatio Obiecti cum Subiecto, modo MATERIALI.» — Intellectio autem est assimilatio inter Obiectum et Subiectum modo SPIRITUALI, i. e. est perceptio SPIRITUALIS.

Nota: — Sensatio sensu latissimo significare solet non tt. PERCEPTIONEM inferiorem, sed quamlibet operationem stricte animalem, sive sit perceptiva, sive affectiva, sive appetitiva.

Scholium III.: CRITERIA DISTINCTIVA INTER PLANTAS ET ANIMALIA BRUTA: — (NB: Per se pertinet ad Thes. I. et II. huius Tractatus.) — 1) Habetur PROTOPLASMA specialiter praeparatum in brutis. 2) Structura MUSCULARIS in brutis, non autem in plantis. 3.) SYSTEMA NERVOSUM. (cf. Schol. in Thesi I 4) Vivere nequeunt ex solis anorganicis; — indigent organicis, (plantis, etc.), ut vivere possint. — **NB:** — Saltem omnia Criteria SIMUL constituunt Criterium certum et distinctivum inter entia sensitiva et mere vegetativa. (cf. Biologia moderna.)

THESIS XXVI. Intellectus ideas primitivas non ex se, sed per se omnes ex sensatione haurit.

ST. Q.: A. Nota: — Certum est, DEUM omnia pura Sua Essentia cognoscere; — Homo certo non. — Sed indiget concursu ipsius obiecti, aut specie propria, aut specie vicaria, sive aquisita, sive innata. — Hac de re diversae opiniones:

B. Adversarii: — Sec. hos Intellectus habet formas innatas, ad actuales cognitiones producendas. Hae formae (vel species) innatae, occasione sensationis excitantur. — **NB:** 1) Ex mente illorum non est cognitio actualis innata, sed tt. DISPOSITIO, vel species innata, quae est eiusdem naturae, ac species rememorativa. — 2) neque est sp. impressa sensu stricto, sed tt. dispositio, ad sp. impressam formandam. REPRAESENTANTES: — a) Plato: Anima unita est cum corpore, propter certam culpam; — ideae, occasione sensationis, ex suo statuo inconscio excitantur. — b) Cartesius: TT. ideam DEI et «mei» esse innatam. — c) Malebranche; Leibnitius et alii idem sed clarius affirmant. — b) Kant: Admittit formas subiectivas «Spatii» et «Temporis». — e) Similiter Rosmini.

C. Nos: — Per se non repugnat; — Cf. v. gr. Angeli, vel Anima humana post mortem, vel Protoparentes, vel

ideae innatae. E...

Natura Humana in Chisto, vel B. V. M. — In his omnibus exemplis habemus non tt. species, sed etiam ideas infusas, vel innatas. Ideo, per se nullo modo repugnat. Sed, negamus, quoad alios homines de facto ita sese habere.

Arg. 1. Elementa positiva in conceptu rerum immaterialium sumuntur ex rebus materialibus sensu perceptis. (ideo Axioma: «Nihil est in intellectu quod antea non erat in sensibus»). — ATQUI: — Si adessent ideae vel saltem species innatae, tunc tale quid explicare non posset. ERGO

Arg. 2. Nulla idea primitiva, sine correspondenti sensatione; — (ita v. gr. Caeci nati non habent ideam coloris). ATQUI: — Hoc iterum maneret inexplicabile, si existerent ideae innatae, vel infusae. ERGO:...

Arg. 3. Adversarii implicite concedunt, sensationem esse necessariam, saltem ut occasionem. ATQUI: — Tunc saltem essent superfluae ipsae ideae innatae. ERGO:...

Ad min: Nam, si sensatio in toto casu requiritur, cur tunc adhuc idea innata? — Esset plane superflua.

Corollarium I: OBIECTIONES: — 1) Mens est semper ACTU cogitans; — ERGO: — Requiruntur ideae innatae? — Respondeo: Nego suppositum. — 2) Adest perpetuum Desiderium Beatitudinis, et quidem inclinatione naturali, et elementari. ERGO: — Idea innata, secus desiderium innatum esset impossibile? — Resp.: Nego suppositum, tale desiderium esse in nobis semper ACTU et jam a nativitate; — ELICITIVE tt. habetur, si homo actu cogitat de sua felicitate. — 3) Saltem judicia de veritatibus PRIMITIVIS statim ex 1.º auditu et quidem facillime cognoscuntur. — Atqui: — Hoc sine ideis innatis explicari non posset. — Ergo? — **Resp.:** A priori intelliguntur? — Nego. — Facile, quia veritas est valde obvia? Conc. — 4) Saltem idea DEI certe non ex sensatione hauriri potest. Resp.: Tamen adest aliquid commune, v. gr. idea substantiae, etc. — **NB:** Quomodo pervenire possumus ad ideam DEI, cf. Theodicea, ex Introductione. — 5) Sed saltem idea justi non hauritur ex actione hominis, sed haec potius illam jam supponit? — Resp.: Concedo, non directe sumi ex actione humana, attamen, sumitur ex experientia, ope abstractionis. — Ergo:

Corollarium II. Ergo, recte intellectus jam apud Aristotelem vocatur «TABULA RASA». — **NB:** Sed illud Axioma «Nihil in intellectu, quod antea erat in nullo sensu», recte explicari debet. Secus sequeretur Sensismus.

Corollarium III: Rite distinguere debemus inter IDEAM et FACULTATEM innatam. — Existere facultates innatas, est evidens et nullo modo a nobis in dubium vocatur. Obiectio: Sed infantuli adhuc non habent facultatem intellectivam? Ergo, ne quidem facultates sunt innatae? — Resp: Habent facultatem, Sed adhuc ea uti non possunt, quia corpus adhuc non sufficienter evolutum est, a quo anima in suis functionibus intellectualibus saltem extrinsece dependet.

THESIS XXVII. Intellectus noster cognoscit singularia per proprios conceptus, immediate, directe, utique, initio modo confuso tantum.

ST. Q.: A. Nexus: — Aliqui putabant, intellectum cognoscere tt. Universalia et Immaterialia; — hoc esse falsum, est evidens. — Utique: «Intellectus SOLUS cognoscit Immaterialia, sed non SOLA». — Congnoscit tum Universalia, tum singularia et materialia. — Sed, quomodo? — Orta est Controversia.

B. Controversia: — St. Thomas, generatim Thomistae, multi Scholastici moderni, v. gr. Urraburu, Card. Mercier, et alii dicunt, intell. singularia et materialia **non** directe percipere posse. — Duns Scotus, Scotistae, Suaresius et alli defendunt contrarium. — **NOS:** — Tenemus **2.** sententiam.

Pars. I. Intell. Cognoscit materialia per proprios conc.

Arg. 1. Omnia ad judicium formandum necessaria debent in ipso Intellectu versari. — ATQUI: — Ad hoc pertinet etiam cognitio distincta Singularium, Materialium: ERGO:. . .

Ad min: V. gr.: Intell. noster clare distinguit Hominem singularem ab alio Homine singulari, vel etiam ab Homine in specie.

Arg. 2. «Nihil volitum, nisi cognitum» — ATQUI: — Homo vult etiam Singularia, Materialia, et quidem ut talia (immediate et directe). — ERGO: — Ea etiam ut talia cognoscere debet.

Ad min: Clare constat ex experientia.

Pars II . . . **Probabilius immediate et directe:**

Arg. 1. Intellectus ABSTRAHIT, i. e. omissis notis singularibus et concretis, attendere potest ad notas Universales. — ATQUI: — Quomodo posset Singularia et Concreta et Materialia «OMITTERE», et hoc operatione vere POSITIVA, si ea antea non perciperet et quidem directe et immediate? ERGO: — Intell. cognoscit Sing. . . **immediate,** . . . et **prius.**

Arg. 2. Intell. aut cognoscit Singularia et Materialia tt. in Phantasmate, tunc nullo modo in se ipso (quod certe nemo affirmare vult); — aut in se ipso, tunc eo ipso immediate et directe, — ERGO: —

Pars III. . . . **sed initio modo confuso:**

Arg. 1. Est factum evidens. Nam prius semper percipitur aliqua «TOTALITAS» indistincta, et tt. paulatim ipsae partes discernuntur. — ERGO: — . . .

Arg. 2. Est Regula UNIVERSALIS (ceteris paribus): «Quo magis et longius cogito de aliqua re, eo clarior erit ipsa IDEA, et vice-versa: Quo brevius cogito de eadem re, eo minus clara erit idea.» — ERGO: . . .

THESIS XXVIII. Obiectum adaequatum intellectus nostri est ens in tota sua latitudine. Obiectum proprium hac in vita sunt res sensibiles.

ST. Q.: A. In genere: — 1) Obiectum MATERIALE: est id, QUOD cognoscitur ab aliqua facultate. — Sic v. gr. Liber potest esse O. Materiale pro VISU. — 2) Obiec-

tum FORMALE: — est id, PROPTER QUOD Obiectum Materiale attingitur ab aliqua facultate. — Sic v. gr. Color ipsius Libri esset O. Formale pro VISU. — 3) Obiectum ADAEQUATUM: — Est SUMMA omnium obiectorum (sive materialium, sive formalium), quae ab aliqua facultate attingi possunt. — Sic v. gr. Obiectum Adaequatum pro VISU esset Omne Visibile, vel omnia visibilia qua talia. 4) Obiectum PROPRIUM — Est id, quod PRIMO et PER SE et POSITIVE ab aliqua facultate percipi potest. — Sic v. gr. O. Proprium pro VISU est COLOR. — **NB:** Potest coincidere et in nostro exemplo de facto coincidit cum O. Formali. Sed O. F. etiam in nostro casu posset esse aliud, v. gr. Pulchritudo libri, tunc non jam coinciderent O. F. et O. Proprium. — 5) O. COMMUNE: — Est id, quod MEDIANTE O. Proprio percipitur. — V. gr. in nostro exemplo ipsa Figura recte vocari posset O. COMM. pro VISU.

B. In specie; (i. e. relate ad Intellectum nostrum):

1). **O. M.:** — Id, quod ab Intellectu attingi potest, vel potius, quod hic et nunc attingitur; — v. gr. DEUS, creatura, etc.

2) **O. F.:** — Id, propter quod hic et nunc aliquod O. M. ab Intellectu consideratur; — V. gr. Mundus visibilis ab Intellectu considerari potest ratione FINALITATIS. — Vel DEUS considerari potest ratione Eius SANCTITATIS, vel MISERICORDIAE...

3) **O.Adaequat.:** — Est SUMMA omnium rerum, quae aliquo modo atingi possunt ab Intellectu. — In Thesi dicimus, hoc esse OMNE ENS, vel ens in tota sua latitudine.

4) **O. Propr.:** — Est id, quod primo et per se et POSITIVE percipi potest ab Intellectu. — Dicimus in Thesi, tale O. pro Intellectu in hac vita esse res sensibiles. —**NB:** O. Propr. sec. nos identificatur cum O. Proportionato. —

5) **O. Comm.:** — Est id, quod mediante re sensibili ab Intellectu percipitur; — Ideo, sunt RES UNIVERSALES, quae non percipi possunt ab Intellectu, nisi mediantibus rebus sensibilibus, ope abstractionis; — Idem valet de rebus IMMATERIALIBUS, quia in hac vita non directe peripiuntur a nobis.

Pars I. O. Adaequatum intellectus est omne ens:

Argumentum: O. ADAEQUAT. ipsius Intellectus est SUMMA omnium illorum, quae saltem aliquo modo attingi possunt ab Intellectu. **atqui** — OMNE ENS, saltem aliquo modo attingi potest ab Intellectu nostro (dummodo recte et rite proponatur). — ERGO: — ...

Ad min: Nam, omne ens est 1) aut Substantia, aut Accidens; 2) aut Infinitum, aut Finitum — 3) aut Spirituale, aut Materiale; — Atqui: — Haec omnia saltem aliquo modo attingi possunt ab Intellectu, dummodo apte proponantur;

Pars II. O. Proprium in hac vita sunt res sensibiles:

Arg. 1. O. Proprium ipsius Intellectus est id, quod PRIMO, PER SE et POSITIVE percipi potest ab Intellectu. ATQUI: — Hae sunt RES SENSIBILES. — ERGO:...

Ad min: Nam, Immaterialia hac in vita ab Intellectu attingi non possunt, nisi per relationem ad Concreta et Materialia. — Haec autem primo et per se et positive attingi possunt ab Intellectu, sine ullo respectu ad Universalia et Immaterialia; — Ergo: O. Propr. hac in vita sunt Sensibilia et quidem SOLA Sensibilia, utique, MODO INTELLECTUALI percepta; — ideo (omissis aliis rationibus), nemo potest dicere, sec. nos O. Proprium esse idem pro Intellectu et pro sensibus. — Deinde **NB:** Pro sensu O. propr. non est sensibile qua tale, sed «hoc» sensibile. — V. gr. O. Propr. pro VISU non est Sensibile qua tale, sed COLOR, vel ens Coloratum. — Simile quid relate ad alios sensus.

Arg. 2. Intellectus in sua operatione hac in vita naturaliter et semper dependet a Phantasmate, (utique, extrinsece tantum). — Et hoc valet etiam quoad obiecta Immaterialia. — ATQUI: — Si Immaterialia essent O. Propr. Intellectus jam hac in vita, tunc talis dependentia intelligi non posset. ERGO:...

Corollarium: — 1) Debemus rite distinguere inter Obiectum ADAEQUATUM et inter ea, quae tt. pertinent ad O. Adaequatum. V. gr.: Homo, Angelus, DEUS, etc. non sunt O. adaequatum, sed pertinent ad O. adaeq. — 2) Si

in Thesi dicimus, omne ens attingi posse ab intellectu, tunc **a**) Nolumus dicere, omne ens SIMUL percipi posse; **b**) Neque omne ens a nobis percipi potest simpliciter, sed tt. conditionate, i. e., si recte et rite intellectui proponitur, sive naturaliter, sive saltem supernaturaliter. — OBIECTIO: — Sed tunc non jam multum affirmatur? — Resp: Affirmatur multum. — Nam, Hoc nullo modo et sub nulla conditione valet de sensatione; — Ita v. gr. DEUS non potest percipi a sensu, neque directe et intuitive, neque indirecte et discursive, neque naturaliter, neque supernaturaliter. — Hoc metaphysice repugnat. — INTELLECTUS autem, suppositis supponendis, capax erit, percipiendi quodlibet ens, (saltem aliquo modo, secundum unam, vel alteram notam), immo et ipsum ENS A SE, scilicet DEUM, non tt, discursive, sed etiam intuitive, i. e. VISIONE BEATIFICA, in qua omnia cetera videre possumus, licet non comprehensive, uti DEUS, (quod metaphysice repugnaret) sed tt. modo finito et creato.

Scholium: — Ergo Intellectus recte vocari solet a Scholast. «POTENTIA UNIVERSALIS». scilicet propter amplitudinem universalem eius Obiecti. Ideo dicunt, animam in ordine cognitionis posse quodamodo fieri OMNIA, ea scilicet intentionaliter exhibendo.

Nota: Dicimus, O. Proport. intellectus hac in vita esse res SENSIBILES; — quaeritur nunc, utrum agatur tt. de rerum sensibilium ACCIDENTIBUS, an etiam de earum SUBSTANTIIS? — Multi Thomistae hoc ultimum affirmant. — Scotus autem et multi alii tamen affirmant, illud solumodo valere de ipsis accidentibus, cum substantia etiam corporalis, qua talis nullo modo cognosci posset, nisi ope discursus. — Videtur probabilior haec secunda sententia. — Sed in ipsa Thesi XXVIII. abstrahitur ab hac controversia.

THESIS XXIX. Judicium non est apprehensio comparativa, sed est actus proprius eam sequens, neque est actus voluntatis sed formaliter ipsius intellectus.

ST. Q.: A. Conceptus: — 1) APPREHENSIO COMPARATIVA: — Est perceptio identitatis vel non identita-

tis inter Subiectum et Praedicatum. — 2) JUDICIUM: — Est affirmatio vel negatio talis identitatis inter Subiectum et Praedicatum.

NB: Divisio: — 1) Judicium VERUM et FALSUM;
2) Judicium AFFIRMATIVUM ET NEGATIVUM;
3) Judicium CERTUM, PROBABILE, INCERTUM, etc.

B. Controversia:

1) Apprehensio COMPARATIVA, estne idem ac Judicium?

a) — Suaresius, Lahouse, Card. Mercier et alii affirmant hoc.

b) — Auctor noster, i. e. P. Fröbes et alii hoc negant, et dicunt, esse actum proprium; — (cf. pars I.)

2) Judicium, estne actus VOLUNTATIS, an INTELLECTUS?

a) — Cartesius, Malebranche et alii putant, esse act. VOLUNT.

b) — NOS cum P. Fröbes dicimus, esse actum ipsius INTELLECT.

Pars I. Judicium non est apprehensio comparativa, sed est actus proprius:

Arg. 1. Apprehensio comparativa non est idem ac Judicium, si potest existere sine et independenter a Judicio; ATQUI — Potest existere sine et independenter a Judicio. ERGO: — Appreh. comparat. non est idem ac Judicium.

Ad min: Aliquis potest percipere identitatem inter Subiectum et Praedicatum, quin det assensum; — v. gr. si agitur de rebus FIDEI, vel de aliqua veritate naturali, sed tt. probabiliter certa. ERGO:...

Arg. 2. Illi actus sunt inter se specifice diversi, qui manifestant proprietates specifice diversas. ATQUI: — Judicium et apprehensio comparativa habent proprietates inter se specifice diversas; — ERGO:...

Ad min: Nam, Judicium potest esse vel PRUDENS vel TEMERARIUM, etc., quod non valet de apprehensione comparativa.

2) Judicio convenire potest VERITAS et quidem FORMALITER, quod ultimum iterum non valet de apprehensione compar.

Pars II. Judicium formaliter non est volitio, sed est formaliter intellectio:

Arg. 1. (negativ.): Judicium est actus liber? Ergo: debet esse formaliter VOLITIO? — Resp: — 1) TT. sequitur, in tali casu voluntatem debere imperare actum, sed non sequitur, debere actum elicere. — 2) Adhuc clarius elucet, si respicitur actus FIDEI. — 3) Deinde, v. gr. Attentio est voluntaria, inquantum imperatur a voluntate; attamen, elici nequit formaliter, nisi ab Intellectu.

Arg. 2. VERUM est Obiectum formale ipsius Intellectus, et BONUM est Obiectum formale ipsius Voluntatis. (cf. Critica.) — ATQUI: — VERITAS formaliter sumpta est proprietas Judicii; — e contra: Volitiones non vocantur verae, sed bonae dici debent, respective malae.

Arg. 3. (idem alio modo): VERUM est Obiectum formale et specificum SOLIUS INTELLECTUS; — Bonum est O. formale specificum solius voluntatis. — ATQUI: Non ipsum Bonum, sed solum VERUM est Obiectum formale specificum Judicii. — ERGO: — Judicium formaliter et specifice non est actus volitionis, sed actus tt. ipsius INTELLECTUS.

Corollarium I: Per Judicium cognitio non crescit amplitudine, sed tantum illa tamquam identica asseruntur, quae jam antea tamquam identica videntur. — Attamen, ipsa cognitio intensive modificatur, scilicet: Redditur firmior, quatenus ex apparentia quodammodo passiva efficitur occupatio firma veritatis.

Corollarium II. Ex his patet discrimen essentiale inter ASSENSUM et CONSENSUM: — Assensus dicitur de Intellectu, quatenus affirmat, rem ita esse; — voluntas autem consentit, quatenus sibi complacet in aliquo. (cf. Explicatio ipsius Urraburu.). Commune utrique est, quod habetur decisio aliqua, sive in deliberatione de agendis, sive in cognitione retinenda.

Scholion: Secundum **Newman** non semper vera certitudo habetur, quamvis forte verbis asseratur. — Certitudinem veram non adesse patet, si individuum illud, quod antea certo affirmaverat, per juramentum confirmare nullo modo audet, vel simpliciter non jam idem affirmare vult coram aliis, qui rem etiam cognoscunt. — Signum cuiusdam dubii potest esse ipsa vehementia, qua res affirmatur. Nihilominus, hoc non semper valet. Nam talis vehementia provenire potest ex summo affectu pro re defendenda, vel ex aliis rationibus. — Porro, certitudo potest esse vel deliberata, vel indeliberata. Prima etiam vocari solet «reflexa».

THESIS XXX. Lingua conceptualis, quamvis utilissima, tamen non est absolute necessaria ad omnem cognitionem acquirendam; ideo traditionalismus plane rejiciendus est.

ST. Q.: Conceptus: — 1) **Lingua** (conceptualis): Est expressio externa conceptuum vel idearum nostrarum, ope verborum vel quorumcumque signorum sensibilium externorum. (Sic v. gr. Surdo-Mutus non potest communicare suas ideas verbis sed adhibere debet alia signa.). — 2) **Revelatio:** — Est communicatio alicuius veritatis, quod generatim fit ope Linguae conceptualis, sive scriptae, sive ore prolatae.

3) **—Traditionalismus: — a) Extremus:** — Dicit, Revelationem physice et absolute necessariam ad OMNEM cognitionem aquirendam. — Ita docent v. gr. Bautain, De Bonald et alii.

b) Mitigatus. — Dicit, Revelationem esse absolute necessariam, sed tantum ad cognitionem moralem et religiosam aquirendam. — Ita v. gr. Bonetty, etc. cf. etiam Ventura.

c) Mitissimus: — Si aliquis vult pervenire ad completam et perfectam et accuratam cognitionem alicuius veritatis, i. e. sine errore et modo expedito tunc utique, Revelatio (i. e. Instructio accepta ab aliis), est necessaria,

sed tt. necessitáte MORALI et non physica. Haec est sententia Scholasticorum et etiam **nostra.**

Pars I. Rejicitur traditionalismus extremus:

Arg. 1. Nam, OMNIS Revelatio vel communicatio alicuius veritatis, cuiuscumque generis, jam praesupponit **certas** et claras ideas in mente nostra. — ERGO:...

Arg. 2. Est factum clarum et plane notum. — V. gr. Homo caecus, surdus, mutus etc. etiam potest pervenire ad multas cognitiones, et quidem claras, quamvis generatim fere nihil percipiat instructionibus, etc. — ERGO:...

OBIECTIO: — Constat, etiam tales homines instrui posse? Resp: — Omnino conceditur. Sed negatur, absque instructione nihil certo percipere et apprehendere posse.

Pars II. Rejicitur traditionalismus mitigatus:

Arg. 1. Cf. totam argumentationem pro Parte I. Nam, quod in Parte I. valet, a fortiori valet etiam pro Parte II.

Arg. 2. Ex THEODICEA et ex ETHICA constat, nos multa posse cognoscere, in rebus religiosis et moralibus, et quidem independenter a qualibet Revelatione vel instructione, sive sit naturalis, sive sit supernaturalis. Sed Illa certo cognosci possunt ex SOLA consideratione rerum visibilium. (cf. ARGUM. COSMOLOGICUM. etc.).

Arg. 3. Quaelibet Revelatio et Instructio evidenter jam praesupponit certa et determinata «**Praeambula**», i. e. requiritur hoc: — Ut possim acceptare ipsam Revelationem, jam debeo certo scire, personam loquentem esse fide dignam, etc., i. e. eam velle et posse dicere veritatem. ATQUI: — Tunc falsum est, omnem cognitionem in rebus religiosis et moralibus unice provenire posse ex Revelatione. — ERGO: — Rejicitur etiam Traditionalismus MITIGATUS.

Pars III. Traditionalismus «mitissimus» est legitimus:

Arg. 1. Implicite sequitur ex argumentatione Partis II.

Arg. 2. Nam, Lingua, (cuiuscumque generis, dummodo sit vere conceptualis), jam praesupponit certas ideas in mente nostra existentes; — attamen, valde juvat, utendo Lingua, audire instructiones, vel legere explicationes aliorum, ad novos et perfectiores conceptus formandos, et ad ulteriores veritates aquirendas, qua aquisitione ipsae veritates jam notae clariores reddi solent. — ATQUI: — Haec praecise est Theoria nostra. ERGO:. . .

Corollarium: — «Traditionalismus» fere ita **ortus** est: Multi ex saeculo 18. et 19. tamquam «Philosophi Apologetici» defendere voluerunt Religionem et sanam doctrinam philosophicam contra invasionem alicuius Philosophiae malae, impiae et perversae et Rationalisticae. Ideo affirmarunt, in rebus religiosis et moralibus non posse haberi certitudinem, sine et independenter a Revelatione supernaturali et Divina, exaggerentes tali modo debilitatem et insufficientiam Intelligentiae humanae. Praecursor huius reactionis fuit Joseph de Maistre (1754 - 1821), notus tamquam Defensor intrepidus et valentissimus Auctoritatis Summi Pontificis. — Organizator autem primorosus huius Scholae erat praecipue Visconde De Bonald (a. 1754 - 1840) et Felix De Lamenais (1782 - 1854).

Nota: Ad «Traditionalismum Mitigatum» pertinent: Bautain, Bonnetty (1798 — 1861), Ventura (1792 - 1861) et Ubachs (ann. 1800 - 1875). — (cf. Historia Philosophiae.)

THESIS XXXI. Rejicitur «ontologismus».

ST. Q.: — Conceptus: — Dicit,, nos OMNIA cognoscere ex INTUITIVA et IMMEDIATA cognitione DEI. (cf. Malebranche.).

Explico: Dicunt: 1) nos jam hac in vita DEUM immediate intueri posse, utique, tt. modo imperfecto. — Porro, dicunt, in hac cognnitione intuitiva DEI omnia cetera entia a nobis percipi posse. — 2) Docent, (saltem nonnulli ex illis), UNIVERSALIA existere «a parte rei» et realiter identificari cum ipso DEO. — 3) Dicunt, OMNIA entia praeter DEUM tt. reflexe et mediate et indirecte a nobis

percipi posse, DEUM autem et solum DEUM a nobis immediate et directe percipi posse. (Porro, praeter hanc cognitionem intuitivam et directam aliqui etiam admittunt insuper perceptionem reflexam, etiam relate ad DEUM.) **NOS:** — Rejicienda est talis theoria. — **NB:** Adversarii principaliores sunt: — Malebranche, Bossuet, Fénelon et alii multi. — (cf. COROLLARIUM.)

Argumentum: — (Probatur ex falsis suppositionibus ipsius Adversarii): — Nam: — 1) Falsum est, DEUM jam hac in vita a nobis intueri posse, a fortiori non naturaliter. Ideo, falsum est, nos ipsas res creatas videre in DEO; potius contrarium constat, scilicet, nos DEUM cognoscere posse mediantibus creaturis visibilibus, uti demonstratur in Theodicea. — 2) UNIVERSALIA non sunt entia realia, multo minus identificari possunt cum DEO. — Nam, DEUS est Ens maxime SINGULARE et maxime CONCRETUM. — 3) Falsum est, entia creata tt. reflexe, DEUM autem et directe et reflexe cognosci hac in vita. — Nam: **a**) DEUS a nobis tantum reflexe percipi potest, uti modo diximus. — **b**) e contra: Ex ipsis creaturis multa entia non tt. reflexe, sed jam directe percipi possunt. — V. gr. Obiecta sensibilia hic et nunc praesentia a nobis immediate videntur; — vel prima principia, tum speculativa, tum practica et moralia ab homine normali immediate cognoscuntur. (cf. Critica, ubi agitur de veritatibus immediate evidentibus.)

Obiectio: — Falsum est, prima principia immediate a nobis percipi posse? — Resp.: Prima principia per inductionem ex rebus sensibilibus facillime cognoscuntur, ideo quasi directe percipiuntur. — **NB:** Practice est fere nulla differentia.

Corollarium: — Ontologismus et illuminatismus Sancti Augustini sunt res bene differentes. — Nam: St. Augustinus ita exponit suam Theoriam-Cognitionis: «Sicut DEUS in ordine Supernaturali illustrare solet animam humanam GRATIA, utpote Lumine Supernaturali, ita simili modo in ordine naturali illustrare solet intellectum humanum speciali lumine naturali.» — Evidenter, his verbis nullo modo docetur Ontologismus, uti nonnulli falso affirmarunt. Nam: — 1) Dicere, «DEUM directe et immediate,

scilicet speciali lumine illuminare vel illustrare animam», non est idem ac si dicitur. «DEUM directe et immediate a nobis intueri vel videri,» uti dicunt Ontologistae.

2) Ipse Sanctus Augustinus plus quam semel sese defendit contra falsam interpraetationem hac in re. Ideo, CONCLUSIO: — Rite distinguendum est inter «ILLUMINATISMUM» Sancti Augustini et inter Ontologismum.

NB: Alii Defensores huius Theoriae sunt: — Vicentius Gioberti (1801 - 1852) et Antonius Rosmini (1797 — 1855).

Obiectio: Est Axioma, scilicet: «Finis est primum in intentione». — ATQUI: — DEUS est Finis omnium rerum. ERGO:... Resp: DEUS (si ut TALIS cognoscitur), debet prius et ante omnia et super omnia a nobis intendi, i. e. **eligi** et consequenter super omnia amari? — C. DEUS debet etiam prius et ante omnia alia entia cognosci? Nego.

THESIS XXXII. Existit species impressa intelligibilis, quae intellectum determinat ad actualem intellectionem formandam.

ST. Q.: — Definitio: — SPECIES IMPRESSA INTELLIGIBILIS est aliqua forma vel dispositio vel qualitas positiva, realis, spiritualis, ipsi intellectui (possibili) impressa, ei inhaerens, eumque determinans.

Nota: Haec DEFINITIO tamquam legitima agnita est jam ab Aristotele, a Sancto Thoma, a Scholasticis fere omnibus, tum veteribus, tum recentioribus. — Et si forte inter Auctores eminentes inveniri poterit dissensus hac in re, tunc potius videtur esse lis de verbo, vel differentia relate ad ipsam terminologiam.

Arg. 1. (Ex Analogia cum Specie impressa sensitiva): Existit vera Species impressa sensitiva. (cf. Thes. XI.) ATQUI: — Tunc aeque bene existere debet Species impressa intelligibilis. ERGO:...

Arg. 2. Intellectus Possibilis ex se est «Tabula-Rasa», i. e. nulla adest dispositio innata. (cf. Thesis XXVI.) Ergo, si adhuc non adest, tunc debet imprimi. — ATQUI: —

Haec forma vel dispositio impressa recte vocatur «Species impressa intelligibilis. — ERGO: — Talis existit.

Arg. 3. Existit MEMORIA INTELLECTIVA, i. e. Species rememorativa intelligibilis, scilicet ad primam intellectionem REPRODUCENDAM, vel ad reproductam retinendam. ATQUI: — Tunc etiam existere debet Species intelligibilis impressa ad illam primam intellectionem PRODUCENDAM, vel simpliciter formandam. — ERGO:. . .

Ad maj.: 1) Est factum plane notum, scilicet, quotidie experiri possumus, intellectiones nostras olim habitas a nobis reproduci posse. — 2) Constat ex Analogia cum Specie rememorativa sensitiva. — (cf. Thesis XVI.)

Ad min.: Hoc etiam facillime comprehendi potest. — Nam: Intellectio illa **reproducta** est essentialiter eadem ac intellectio prima olim habita. — Ergo, si intellectio **reproducta** habet suam speciem (impressam) intelligibilem, tunc etiam illa intellectio prima, olim habita. ERGO: Existere debet Species impressa intelligibilis. . . .

Corollarium: — (cf. Schema, Psychologiae-Experimentalis, pagina 11.) — Ibi aliqua illustratione et modo schematico explicatur totus processus cognoscitivus, incipiendo ab Obiecto externo et tandem aliquando perveniendo ad ultimam reactionem vitalem, scilicet intellectualem, quae vocatur «SPECIES EXPRESSA INTELLIGIBILIS», vel «IDEA», vel etiam «Verbum Mentis».

Nota: — 1) Evidenter fiunt eodem tempore et reactio sensitiva, et reactio spiritualis vel intellectiva, quia sunt functiones stricte vitales eiusdem animae, quae eodem momento diversis modis reagere potest, secundum suas diversas potentias vel facultates. — Utique, anima intellectualis humana est natura sua ens prorsus spirituale. Nihilominus gaudet virtute sensitiva et vegetativa, quo quidem munere fungi nequit, nisi in statu unionis cum corpore. Sub hoc respectu aliqui vocant animam humanam FORMALITER intellectualim et VIRTUALITER sensitivam, immo et vegetativam, quia habet virtutem illas functiones inferiores efficiendi. — 2) Illa linea horizontalis eiusdem Figurae nullo modo indicare vult limitem inter corpus et animam, sed tt. «graphice» indicat differentiam inter mun-

dum intellectualem et materialem in homine. Homo est unicum ens creatum, quo et in quo tam intime unitur et quodammodo reconciliatur mundus spiritualis cum mundo materiali. (Ideo recte vocatur «MICROCOSMOS»). — Altera ex parte in nulla creatura, neque visibili, neque invisibili, tam vehemens pugna et «Antagonia» regnare solet, uti in homine. Hoc fit propter diversissimas exigentias partis inferioris et superioris, praesertim relate ad vitam affectivam et appetitivam. Ipse Sanctus Paulus descripsit hoc «duellum» inter hominem terrenum et inter hominem caelestem et spiritualem in eodem Subiecto vel individuo. Plura huius quaestionis exponuntur in Psychologia-Experimentali, praesertim, ubi agitur de vita affectiva et speciatim de diversis statibus pathologicis.

3) Quod attinet ipsum Intellectum Agentem, dicendum est, illum esse aliquam energiam specialem, psychicam, spiritualem et summe activam. Sed non est specialis facultas, distincta, vel diversa ab intellectu. Potius dicendum est, eum simul cum «Intellectu-Possibili» constituere ipsam facultatem intellectivam, integram et totalem. — De ipsa terminologia disputare nolumus. Si vocabulum alicui ex Philosophis non placuerit, transeat. Sufficit, ut agnoscat et concedat, animam tali munere fungi, quod nemo de facto negare potest. 4) Quoad Memoriam sens..., cf. Psych. Exp.

THESIS XXXIII. Speciem impressam intelligibilem efficiunt intellectus agens ut causa principalis, et phantasma ut causa instrumentalis.

ST. Q.: I. (Cf. iterum illud **Schema** pg. 11. Psych. — Experim.)

II. Intellectus «Agens»: 1) **Non** est **facultas** cognoscitiva ipsa. — Solum efficit, causat ipsam Speciem intelligibilem non in se, sed in Intellectu «POSSIBILI». 2) abstrahit Speciem intelligibilem e Phantasma, i. e. non modo reflexo, neque modo conscio, sed directe et modo inconscio. 3) Ideo aliquo modo comparari potest cum

facultate organica, quae producit speciem impressam sensibilem, ita ut anima fiat capax formandi speciem expressam sensitivam, i. e. ipsam sensationem.

III. Intellectus «Possibilis»: 1) In oppositione ad Intellectum «Agentem» ipse Intell. Possibl. est vera facultas cognoscitiva, i. e. id, quod vulgo appellatur Intellectus. 2) Est facultas realis et vere ACTIVA. Sed vocatur «POSSIBILIS» vel etiam «PASSIVUS», quia in productione ipsius Speciei - Intelligibilis - Impressae mere **passive** sese habet, vel uti alii dicunt, mere «receptive». — Sed postea vere et FORMALITER et eminenter ACTIVE sese gerit, i. e. producit ipsam Speciem intelligibilem Expressam, vel ipsam «IDEAM». — (cf. Illud Schema.)

Nota: — ADVERSARII: — cf. in COROLLARIO, ubi agitur de Obiect.

Pars I. Intellectus agens est causa efficiens principalis quoad spec. Impressam intell. producendam:

Arg. 1. (Per modum exclusionis):

1) Non ipsum **Phantasma** posset esse causa principalis; — secus effectus superaret suam causam efficientem. Ideo, Phantasma non potest propria vi causare illam spec. Deinde 2) Non Intellectus **Possibilis**. — Nam eius activitas natura sua jam praesupponit illam speciem intelligibilem. Ergo: — Debet existere aliqua energia psychica specialis.

Obiectio: — Tunc Intell. Agens est vera et proprio dicta facultas cognoscitiva? — Nego, quia non producit Sp. Express.

Arg. 2. (Idem, sed alio modo): — Phantasia est facultas organica et sp. intelligibilis est accidens Spirituale. ATQUI: — Accidens Organicum non potest **propria vi** et directe producere accidens Spirituale; — ERGO: — Accedere debet alia vis et quidem Spiritualis, i. e. Intell. «Agens».

Pars II. Phantasma est causa instrumentalis:

Argumentum:

Nam, Intellectus Agens **EX SE** non sufficit. — **Obiec-**

tio: — Sed forte sufficit mera PRAESENTIA Phantasmatis? — Resp: Non. Nam, Intellectus Agens ex se est indifferens, ideo ex se non potest sufficere (uti modo diximus); — ideo, debet aliquo modo determinari; — **Obiectio:** — Sed quomodo Phantasma, utpote MATERIALE determinare potest Intellectum Agentem, qui est energia supiritualis? — Resp: Nulla est difficultas. — Nam, v. gr. Obiectum materiale etiam potest movere vel determinare nostram Voluntatem, quamvis sit facultas vere spiritualis. — quomodo hoc fit? — Resp: Ultimatim et unice explicari potest propter unionem substantialem inter corpus et animam intellectualem. — Talis unio utique, a nobis plene intelligi et consequenter perfecte explicari nequit. Est iterum unum ex multis mysteriis Naturae.

Corollarium I: — (Quad Partem I. ipsius Thesis.)

De Illuminatione Phantasmatis seu de activitate INTELLECTUS AGENTIS in ipsum phantasma dicendum est hoc: — Intellectus Agens jam ab Aristotele comparatur cum aliquo lumine. Sese habet (ex mente huius magni Philosophi) sicut lumen visibile ad colores, ita etiam Intell. agens relate ad intelligibilia. — Sine lumine colores sunt tantum visibiles in potentia, lumen autem eosdem actu visibiles facit. — Ita obiecta, quae de se solum potentia intelligibilia sunt, per intellectum agentem actu intelligibilia fiunt. — Sed, quomodo haec illuminatio intelligi debet? — Resp.: Hac de re est magna CONTROVERSIA inter Auctores. — Certo, dici nequit, intellectum agentem in phantasma imprimere aliquam formam vel aliquod lumen ipsi inhaerens, quo capax fiat ad speciem intelligibilem producendam. quia phantasma est et manet quid materiale, non obstante qualicumque operatione vel activitate ipsius intellectus agentis. — **NB:** — Scimus, St. Augustinum loco intellectus agentis aliud lumen naturale admisisse, quod DEUS directe ipsi animae infundere deberet, simili modo, uti habetur in ordine supernaturali, relate ad Gratiam, nobis a DEO infusam. (cf. Coroll. ad Thesim XXXI. pag. 67 et Historia Philosophiae, pg. 38.)

Corollarium II: — (Quoad Partem II. ipsius Thesis.)

Obiectiones: — 1) Phantasma est «quasi Exemplar». — Resp: — Aut esset verum exemplar, tunc determina-

ret ipsam speciem expressam (quod est evidenter falsum); aut non, tunc finaliter nihil explicatur illa comparatione. 2) Est quasi «materia»? — Resp: — Est **vera** c. m. — 3) **Suarez:** — Phant. utpote materiale, cooperari nequit? — R. cf....

Scholion: — 1) Relate ad quaestionem de intellectu agente et de intellectu possibili, dicendum est, esse quaestionem fundamentalem in tota Psychologia Aristotelica et Scholastica. — Non paginae, sed Codices integri et magni voluminis scripti sunt de hac re. Ideo 2) Nihil mirandum, si etiam Psychologi moderni (uti P. Fröbes, P. Lindworsky, P. De Vries et alii demorari solent in his thesibus. 3) Insuper inculcandum est, Scholasticos veteres, praesertim St. Thomam, quoad Psychologiam Speculativam, specialiter quoad partem intellectualem, adhuc hodie gaudere et voce et auctoritate et nomine inter Auctores modernos. 4) Deinde dicendum est, neque Auctorem nostrum, neque nos huic thesi concedere velle aliam qualitatem, nisi quamdam probabilitatem, licet solidam; — 5) St. Augustinus forte non tam differenter exponere intendit suam sententiam de hac re? — 6) Fine finaliter iterum repetendum est, quod alibi inculcavimus, scilicet, intelligentiam humanam valde limitatam esse et multipliciter obscuratam, jam in rebus de mundo anorganico, a fortiori in quaestionibus psychol.

THESIS XXXIV. Species intelligibilis expressa, seu verbum mentis, recte vocatur medium «in quo» cognoscitur obiectum.

ST. Q.: I. Nexus: — In Thesi XII. etiam locuti sumus de Medio «quod» de Medio «quo» et de Medio «in quo». Hac in Thesi eadem quaestio rediit, sed relate ad facultatem non sensitivam, sed intellectualem.

II. Conceptus: — Exponuntur haec 3 diversa «media»: 1) — Medium **QUOD»:** — (vel «ex quo») — Sec. hanc theoriam actu primo cognoscitur imago SUBIECTIVA ut talis; — actu secundo, scilicet aliquo ratiocinio (inconscio) cognoscitur ipsa res obiective existens.

2) — Medium «**QUO**»: — (Generatim Scotistae et Suaresiani) — Dicunt ita: Imago non cognoscitur, neque secundum partem subiectivam, neque sec. partem obiectivam. (ita Suaresius, Molina, etc.) — Immediate et unice cognoscitur ipsum Obiectum; — sive sit existens, sive non, sive sit concretum, sive sit abstractum. — Cognitio terminatur (non physice sed intentionaliter) in solo ipso Obiecto externo.

3) — Medium. «**IN QUO**»: — (Generatim Thomistae, et **NOS**) — Species intelligibilis expressa non sec. partem subiectivam, sed obiectivam percipitur a nobis, i. e. non entitative, sed tt. representative. — Si «assimilor» ipsi imagini, tunc eo ipso ipsi rei. — Aliis verbis: «Uno eodemque actu cognoscitur et IMAGO (sec. suam partem obiectivam) et ipsum OBIECTUM, non ut 2, sed ita, ac si essent unum idemque». — (cf. explicatio est prorsus similis, ac in Thesi XII.)

Pars I. Rejicitur M. QUOD»: — Nam, 1) Imago subiectiva nullo modo experitur, sed immediate res ipsa. 2) Quid illud ratiocinium «inconscium» significare velit,, hoc difficile erit dicendum. — 3) De facto numquam distinguimus inter actum primum et secundum hac in re, saltem psychologice. — 4) Finaliter, illud m. quod supponeret vel medium «quo», vel medium «in quo». — ERGO:. . .

Pars II. Rejicitur M. «QUO»: — 1) Quomodo in tali suppositione explicari possent Illusiones intellectuales? 2) Cur tunc illa «ASSIMILATIO» inter Subiectum et Obiectum, si hoc ultimum tt. in se ipso cognosci posset? 3) Universale (sive directum, sive reflexum) est tt. in intellectu. — 4) Ipsum Judicium de aliqua identitate necessaria (v. gr.: 2 + 2 = 4) est tt. fundamentaliter in rebus. 5) Quomodo tunc theoria explicari posset, si agitur de Judiciis falsis? — 6) Et quomodo explicatur, si agitur tt. de Ente «rationis»?

Pars III. Postulatur M. «In Quo»: — 1) Sequitur ex praecedentibus per modum exclusionis. — 2) Ex comparatione cum sensatione. (cf. Thesis XII.). — 3) Optime concordare videtur cum experientia. 3) Omnes difficultates in hac theoria facillime solvi possunt.

Corollarium: — «In cognitione Obiecti existentis apte tria distinguuntur: 1) Actus, seu cognitio secundum proprietates subiectivas vel entitativas; — 2) Obiectum internum, verbum mentis, species expressa, seu id, quod cognitio exhibet, seu cognitio secundum proprietates obiectivas: haec 2 necessaria sunt, ut omnino cognitio habeatur; — 3) Obiectum in se. Alia vocabula pro eadem tripartitione sunt: a) repraesentatio (idea) subiectiva; b) repraesentatio obiectiva; c) Obiectum. — Vel alia vocabula: a) actus; b) id quod repraesentatio continet; c) ipsum Obiectum repraesentationis. — Vox repraesentatio (sive sit sensatio, sive sit idea) modo actum, modo obiectum internum significat; vocabulum «cognitum» (repraesentatum») de Obiecto interno et externo usurpatur, sed diverso sensu; fere ut vocabulum «depictum» de homine et de imagine». — (cf. P. Fröbes, «Cursus Brevior» Psychologiae — Speculativae, pag. 281.) — Alia cf. alibi.

THESIS XXXV. Existit in homine appetitio et affectio intrinsece rationalis.

ST. Q.: A. Nexus: — In Thesibus XXI. et XXII. locuti sumus de vita affectiva et appetitiva inferiori. — Nunc loqui debemus de eisdem facultatibus, sed quoad partem superiorem, vel spiritualem. Adversarii libentissime concedere solent existentiam affectionis et appetitionis sensitivae, attamen negare conantur existentiam similium facultatum spiritualium. Contra hos ponimus hanc Thesim.

B. Conceptus: — (AFFECTIO et APPETITIO rationalis.) — 1) — AFFECTUS RATIONALIS: — Est status emotionalis, qui cum cognitione intellectuali conjunctus est, et ab ea causatur. — (v. gr. delectatio de nova scientia; — delectatio aesthetica; — delectatio de victoria contra tentationes; etc) — 2) — APPETITUS RATIONALIS: — (seu Voluntas) — Tendentia vel inclinatio naturalis, sequens vel cognitionem intellectualem, vel affectum intellectualem, vel utrumque. — Vel breviter: — VOLUNTAS est appetitus spiritualis, sequens cognitionem INTELLECTUALEM. — (V. gr. Inclinatio elementaris, qua tendimus ad felicitatem veram, perfectam et perennem; — Vel

desiderium, vel potius inclinatio, qua inclinamus, ad studiis operam dandum. — Vel tendentia, qua appetimus perfectionem moralem. — Vel tendentia, quae sequitur ex amore spir.

C. Adversarii: — Sunt 2 genera adversariorum:

1) — **Negant** affectionem et appetitionem spiritualem, et quidem, a) aut, quia negant discrimen essentiale inter vitam sensitivam et intellectivam; — **b)** aut, quia (licet admittant discrimen illud essentiale) appetitum et affectum reducere volunt ad meram COGNITIONEM. — cf. v. gr. Ebbinghaus, Spencer, etc., sec. quos volitio nihil aliud esset, nisi cognitio aliqua «ANTICIPATA». — Secundum **Wundt** volitio nihil est, nisi aliqua «successio affectuum».

2) — **Affirmant** existentiam affectuum et appetituum intellectualium, attamen falsam interpretationem dant. V. gr. Lotze: «Volitio est ipsum nostrum FIAT». — Neumen: «Volitio est activa electio». — Pfänder: «Volitio est causalitas ipsius EGO». — Alii similiter.

D. NOS: — In Thesi probamus, hominem praeditum esse non tt. affectionibus et appetitionibus sensitivis, (uti elucet ex Thesibus XXI. et XXII.), sed gaudere etiam affectu et appetitu superiori, et quidem **intrinsece** rationali. Thesis habet 2 partes; et utraque pars certiss. probatur. De diversis speciebus affectuum intellectualium erit breviter quaestio in COROLLARIO.

Pars I. Existit in homine appetitus stricte rationalis:

Arg. 1. Sequitur ex Analogia cum vita sensitiva. — Nam, certe probatum est, appetitum sensitivum existere. ERGO: — Etiam cognitio spiritualis certo habebit suam correspondentem facultatem appetitivam.

Arg. 2. Appetitus elicitivus in homine saepissime est liber, uti suo tempore expresse probabitur. (cf. Thes. XXXVIII. — XXXIX. XL. —). — ATQUI: — NULLA Libertas inveniri potest in tota vita sensitiva, neque in intellectu, neque in affectu superiori et spirituali, (nisi aliquo modo indirecto). — ERGO: — Nihil remanet, nisi, ut

existat in homine praeter appetitum sensitivum et praeter affectum et cognitionem intellectualem aliquis appetitus stricte et intrinsece rationalis, specifice diversus a qualibet alia facultate, sive sit affectiva, sive cognoscitiva.

Arg. 3. Homo appetere potest: — 1) IMMATERIALIA; — v. gr. ipsum DEUM, scientiam, etc... — 2) UNIVERSALIA; — v. gr. ipsum bonum in genere, etc. — ATQUI: — Appetitus sensitivus evidenter non potest appetere talia. — ERGO: — Existit Appetitus rationalis, specifice diversus ab Appet. sensitivo.

Ad Conclusionem: — Ex Praemissa MAIORI clare sequitur, voluntatem, vel appetitum superiorem debere esse rationalem, et quidem sensu STRICTO et **intrinsece.** — Nam: — **1)** Obiectum, sive cognitum, sive volitum, est pars essentialis ipsius actus cognoscitivi, respective volitivi. — **Atqui:** — Obiectum in nostro casu est intrinsece et stricte intellectuale vel spirituale, ergo etiam ipse actus volitivus et consequenter ipsa facultas volitiva, scilicet voluntas. — **2)** Volitio ratione Obiecti voliti fit intrinsece bona (si obiectum est bonum) et intrinsece mala (si obiectum est malum). — **Atqui:** — hoc iterum esset impossibile, si voluntas non haberet intrinsecam relationem cum illo Obiecto intellectuali et spirituali et immateriali. ERGO: — Ipse Appetitus (i. e. voluntas) debet esse intellectualis vel spiritualis, et quidem STRICTE et INTRINSECE.

Arg. 4. (Ex Testimonio interno)

Saepe sentimus **pugnam** interiorem, non tantummodo inter diversas emotiones vel affectus, sed etiam inter diversissimos appetitus, inter se prorsus oppositos. — ATQUI: — Tale phenomenon psychologicum esset prorsus impossibile, si homo haberet tt. appetitum inferiorem, vel sensitivum. — ERGO: — Homo gaudet facultate appetitiva superiori et spirituali.

Pars II. Existit in homine affectus stricte rationalis:

Arg. 1. Iterum ex analogia cum vita sensitiva in homine. Existit enim vita affectiva inferior, tamquam status psychologicus, sequens cognitionem sensitivam. (v.

gr. Canis domesticus, videns dominum suum, statim gaudet ex tali aspectu, et quidem vehementer; vel contristatur dolore percepto, etc.). — ATQUI: — Tunc a pari debet existere in homine etiam affectus superior et spiritualis, tamquam status psychologicus, sequens cognitionem intellectualem.

Arg. 2. Gaudium, tristitia, etc. saepe est effectus proprius et immediatus (i. e. immediate sequens) ipsius cognitionis intellectualis; v. gr. gaudium de veritate religiosa, de aliquo problemate mathematico, etc. — Atqui: — Effectus proprius, immediatus talis cognitionis spiritualis certe non potest esse affectus (pure) sensitivus. ERGO:. . .

Arg. 3. Homo saepe potest simul contristari et simul gaudere, et quidem in eodem momento, de eadem re. — ATQUI: hoc certissime esset impossibile, si existeret tt. affect. sensitivus. — ERGO: — Debet existere aff. sup. in homine.

Ad min: — Hoc est evidens; — ideo v. gr. animal brutum de facto non potest simul gaudere et simul non gaudere eodem momento de eodem obiecto, praecise, quia tt. habet unam vitam emotionalem, scilicet inferiorem.

Arg. 4. Nulla est vera et perfecta Beatitudo, neque vera et perfecta damnatio sine gaudio respective sine tristitia. Ergo; — anima separata a corpore debet posse gaudere et contristari, et quidem pure intellectualiter et spiritualiter, quia corpus non jam adest. — ATQUI: — Tunc talis facultas affectiva pure et intrinsece spiritualis jam hac in vita debet adesse, (quia natura animae manet semper eadem) — ERGO: — Existit in homine affect. spiritualis.

Ad maj.: — Est evidens. Nam: 1) Beatitudo vera sine gaudio nequidem cogitari posset, quia «laetari» vel «gaudere» et «beari» (i. e. «esse beatus») sunt evidenter Synonyma. (cf. correspond. Thes. ex Ethica.) — 2) Sed undenam constat, hominem in altera vita gaudere, vel contristari? — Resp.: Hoc non tt. constat ex Revelatione supernaturali, sed jam naturaliter cognosci potest; — (cf. Thesis XLIX.)

Arg. 5. (Confirmatio solidissima)

Est persuasio intima et constans, non tantumodo Philosophorum Scholasticorum omnium temporum, sed etiam sequitur ex convictione clara omnium illorum hominum, qui sincere audire solent testimonium internum, quotidianum.

Corollarium: Ergo. **Conclusio:** — In homine invenitur et Appetitus et Affectus superior, intrinsece intellectualis vel spiritualis. — **NB:** Existere Appetitum prorsus spiritualem, adhuc facilius concedi solet ab adversariis. Sed, quoad Ipsum **affectum** SPIRITUALEM maiorem difficultatem habere solent. Cur? — Dicunt ita: — In homine nullo modo opus est admittendi affectum spiritualem propter unionem substantialem inter corpus et animam. Ideo, si ipsi intellectui proponitur aliquod obiectum intellectuale et summe gratum (v. gr. cogitatio de DEO, etc.) tunc eo ipso sentitur gaudium et laetitia in parte sensitiva, et hoc fit propter unionem substantialem. Hoc factum, vel phenomenon psychologicum vocatur «Redundantia» ipsius affectus. — Ergo, sufficit affectus sensitivus? — **Resp.:** Talis conclusio esset prorsus falsa et illegitima. Nam: **1)** — Utique, certum est, talem «Redundantiam» affectuum existere. Immo, generatim, vel saltem saepissime sentitur talis redundantia, etiam si agitur de gaudio de obiecto pure spirituali. — Sed praecise talis «redundantia» evidenter probat, affectum superiorem adesse. — Nam talis redundantia esset prorsus impossibilis, si non existeret affectio vel emotio spiritualis. — Nam, ex sola cognitione intellectuali, sine correspondenti affectu spirituali talis redundantia esset prorsus impossibilis. Hoc est absolute certum. Nam, quomodo affectus superior potest redundare in partem inferiorem, si talis affectus sup. non adest? —Sed sufficit forte cognitio intellectualis et statim sequi potest affectio correspondens inferior- — Resp: Nullo modo. — Redundantia affectus non fit nisi inter affectus et non inter cognitionem (intellectualem) et affectum (sens). ERGO: — Ubi adest affectio grata (i. e. gaudium et laetitia) de Obiecto pure intellectuali vel spirituali, ibi saltem praeter gaudium sensitivum debet etiam adesse gaudium spirituale, et quidem PRIMARIE et principaliter secus illud gaudium sensitivum esset prorsus impossibile.

2) — Deinde dicendum est hoc: — GAUDIUM SPIRITUALE est eo **purius** et intensius et excellentius, quo minus redundat in partem inferiorem et sensitivam. Porro, si in aliquo casu extraordinario nulla prorsus adest redundantia, tunc adhuc melius et purius et multo excellentius erit illud gaudium spirituale. — Est factum certissimum. — (cf. Homines aegroti, oppressi doloribus vehementissimis, illi saepe maxime gaudent spiritu, sine ulla redundantia gaudii in partem inferiorem. — Cf. etiam St. Paulus, qui exclamare potuit; «Superabundo gaudio in omni tribulatione».)

3) — Etsiamsi prima et secunda responsio non valerent, tunc adhuc maneret Thesis etiam quoad partem secundam, propter argumenta certissima, quae attulimus. (cf. Arg. 2 et Arg. 3. Partis II.) — Ideo, manet CONCLUSIO nostra certa et irrefragabilis, non obstantibus quibuscumque obiectionibus.

4) — Crescit vis argumentationis ex alia consideratione, sc. ex mente Sancti Thomae et teste experientia interna dicendum est hoc: — Affectus superiores, rationales sunt multo profundiores et magis totum et integrum hominem apprehendunt, eiusque desideria maxime essentialia explere valent. Affectus sensitivi autem, licet sint saepe acriores et pro momento fortiores, nihilominus tantumodo ad necessitates magis superficiales spectant. Ideo facilius et citius transire et evanescere solent, quam affectus spirituales. Ita v. gr. inventio scientifica felicitatem diu manentem creat et post annos adhuc erigit, cum voluptas ebrietatis, licet sit in se fortis, solam quasi animae superficiem tangat et citissime evanescat.

5) — Ex mente Veterum et magna ex parte secundum Auctores etiam modernos (cf. Mausbach, Fröbes, etc) affectiones spirituales immediate adesse videntur, una cum sua causa. E contra, sensitivae plus temporis requirere solent. Ratio est obvia, scilicet constat, intellectiones (utpote causas affectionum superiorum) apparere posse cum celeritate ad modum fulguris, phantasmata autem semper longius tempus postulare, ut clariora fiant. — Fine finaliter notandum est, in affectu sensitivo vehementissimo saepe oriri posse immutationes et perturbationes organicas, non autem in affectionibus superioribus; (praesertim, si hi sunt puri.)

Scholion 1: — Divisiones affectuum: —

Veteres adhibebant usitatam divisionem passionum in 11 status, partim concupiscibiles, et partim irascibiles. (cf. Theologia et Philosophia Moralis.) — Secundum **Donat** illi affectus iterum varias modificationes admittunt. Sic v. gr. Odium potest esse vel aversio, vel detestatio, vel inimicitia. — Delectatio est expressio magis generica pro affectu grato; — crescente intensitate, vocari solet «Voluptas», si agitur de parte inferiori; vocatur autem gaudium vel laetitia, si quaestio est de affectu intellectuali. Si haec laetitia spiritualis est summa et perfecta, tunc vocatur «Beatitudo»; — i. e. «Omnium Bonorum aggregatione perfecta status». (cf. Boëtius.) — Moderni iterum alias divisiones vel saltem subdivisiones dare solent. (cf. Fröbes, etc Psych. Exp.)

Maher relate ad affectus superiores 5 classes distinguit, scilicet: — egoisticas, altruisticas, intellectuales, aestheticas, ethicas. — 1) — Affectiones «**egoisticae**» : Si tt. proprium «Ego» attenditur; — v. gr. affectus superbiae, vanitas, delectatio inordinata de propria excellentia, etc.

2) — Affectiones «**altruisticae**»: si affectiones alienae cognoscuntur et tamquam propriae sentiuntur. Ideo Ipse DEUS nostram naturam accipere voluit, ut nobiscum pati, nostrasque miserias (solis peccatis exceptis) sentire posset. Exempla: Misericordia, Sympathia, Congaudium, Contristatio, Benevolentia, affectus amoris erga DEUM, etc. Crescente educatione, maxime autem cum christiana religione crescere solent tales emotiones nobiles et excellentes.

3) — Affectiones «**intellectuales**»: V. gr. affectio novitatis, delectatio de activitate spirituali in genere; — affectiones «logicae», i. e. affectio de convenientia inter judicia, vel affectio circa contradictionem inter judicia, etc.

4) — Affectiones «**aestheticae**»: est delectatio de pulchro, sic v. gr. affectio, quae oritur ex visu Firmamenti, Stellarum, imaginis pulchrae, ex contemplatione aedificii, modo artificiali constructi, etc.

5) — Affectiones «**ethicae**»: Est affectio de bono vel malo morali; — v. gr. affectus paenitentiae, vel Laetitia spiritualis de opere bono peracto vel affectio negativa (remorsus) de peccato commisso, etc, — **NB:** — Addi possunt:

6) — Affectiones «**religiosae**»: Sunt emotiones valde **purae de** veritatibus religiosis. — Ad hanc classem enumerari possunt innumerabiles et diversissimae CONSOLATIONES spirituales Sanctorum, quas Ipse SPIRITUS SANCTUS infundere solet suis Amicis et Electis jam hac in vita. — Ideoque invocari solet tamquam «Consolator Divinus» («Consolator Optime...»).

Scholion 2: — Pathologia affectuum:

Affectiones in gradu infimo vocantur «Emotiones», in gradu intensiori «Affectus», in gradu valde intensivo «Passiones». — Porro, si ultimae valde exaggerantur, vel si sine ulla causa cognoscitiva oriri solent, vel si voluntas prorsus amiserit omnem influxum, sive directum, sive indirectum, tunc loquuntur de statu emotionali «PATHOLOGICO». — Sed bene notandum est, in tali casu magnopere juvare «Auto-Suggestionem», de qua agitur in Psychologia-Experimentali. — Elementum principale in tali casu est persuasio et convictio intima, victoriam contra talem affectionem non tt. esse possibilem et necessariam ad vitam aeternam ingrediendam, sed esse etiam facilem **NB:** Hoc summi momenti est, non tantumodo ad alios juvandos, qui pati solent certis disturbiis et perturbationibus affectivis, sed valde et magno cum successu ajuvare potest talis persuasio, si agitur de propriis tentationibus superandis. — (cf. Dr. Dubois, «Einfluss des Geistes auf den Körper»; — Coué, «Die Selbstbemeisterung durch bewusste Autosuggestion»; — cf. Psych. Exper.)

Nota; Exaggerantur Affectus in «Mania» et in extrema «Melancholia», minui autem solent in «Idiotia». NB: — Si Affectus «Melancholiae» transcendit «Fastigium» vel «Culmen» sensationis, tunc individuum facile in aliud extremum cadere potest, i. e. statum psychicum, in quo deficit quilibet affectus. Tale quid apud morientes accidere potest. — Apparentia externa tunc similis erit certo statui idiotiae, quamvis sit magna differentia interna.

Porro: — Si affectiones in cursu morbi minuuntur, vel totaliter evanescunt, tunc hoc fit secundum certum et determinatum ordinem, (cf. Ribot) scilicet: — Primo mi-

nuuntur affectiones aesthetiae et logicae; sequuntur affectiones morales et altruisticae; — prius evanescit benevolentia in alienos, postae etiam erga amicos et familiam; — deinde deficit affectus honoris et famae. Finaliter evanescunt affectiones egoisticae, uti timor, ira, etc.

Scholion 3: Influxus affectuum in voluntatem:

Jam Aristoteles distinguit inter influxum directum et indirectum. — 1) Influxus DIRECTUS: — Vocatur etiam influxus per «redundantiam», de quo jam locuti sumus. In nostro casu utique non loquitur de redundantia inter ipsos affectus inter se, sed de illa inter affectum et volitionem. (Est redundantia jam sensu latiori.) — In tali casu ipsi affectus sensitivi voluntatem secum abripere solent. — 2) Influxus INDIRECTUS: — In hoc casu affectiones voluntatem non opprimunt, sed motiva conscia praebent (utique mediante intellectu), quae in suam directionem inclinant. Sic ex impulsu timoris vel amoris vel irae etc. opiniones ad summum probabiles habentur tamquam certae. — Ideo sonat Proverbium: — «Passiones hominem caecum faciunt». — Gradus extremus talis influxus indirecti est certa incorrigibilitas et obstinatio peccatoris in sua aversione contra DEUM. — Influxus multiplex affectionum in voluntatem illustratur modo practico per educationem, quae utitur modo poena, modo laude, modo praemiis, etc., ad bonos habitus creandos in ipsis infantibus. **NB:** — Sicut affectus in voluntatem, ita vol. in aff. influere solet.

Scholion 4: — Distinctio appetitus inferioris et sup.:

Haec distinctio variis modis fieri potest, scilicet: — 1) — METAPHYSICE: — i. e. ut facultas appetitiva vel organica vel immaterialis; — 2) — Secundum cognitionem praesuppositam, ut appetitus sequens cognitionem vel sensitivam, vel intellectivam; — 3) — Secundum OBIECTA: — scilicet ut appetitus in obiecta vel sensibilia vel insensibilia; 4) — Appetitus liber et appetitus non liber. — NB: Hac ultima distinctione inculcata, nolumus dicere, voluntatem semper et in omnibus suis actibus gaudere libertate. Hoc esset evidenter falsum. — Nihilominus, ipsa Libertas est signum clarissimum distinctionis voluntatem inter et appetitum inferiorem, quippe qui numquam est liber.

NB: — Huius libertatis causa Duns Scotus ipsi voluntati attribuit Primatum in oppositione ad Doctorem Angelicum, qui Primatum non concessit, nisi ipsi Intellectui. (Ideo celeberrima distinctio inter «Voluntaristas» et «Intellectualistas». — cf. Historia Philosophiae.)

THESIS XXXVI. Obiectum voluntatis humanae est solum bonum, idque sub ratione aliqua rei, quae ipsi appetenti conveniat.

ST. Q.: — Conceptus: — 1) Agitur de voluntate nostra, et dicimus, eam appetere non nisi bonum, et quidem **sibi** bonum, saltem sub aliquo respectu. Ideo, si voluntas opponeretur alicui obiecto, in quo prorsus nulla ratio convenientiae inveniri posset hic et nunc pro ipso individuo, tunc de facto illud obiectum appetere non posset. — 2) BONUM est idem ac convenientia aliqua. Ideo, bonum est id, quod convenit, saltem sub aliquo respectu. Sec. diversos respectus, quibus aliquod obiectum vel aliqua actio convenire potest ipsi homini, distinguere possumus inter: a) bonum HONESTUM, b) bonum UTILE, c) bonum DELECTABILE; — (cf. Ethica). — Porro, in quolibet ex his casibus iterum distingui potest inter bonum verum et inter bonum apparens. — **Nota:** — In Thesi agitur de bono, sub ratione universalissima sumpto. — Porro, loquimur de actu voluntatis PROSECUTIVO, sed implicite etiam de actu AVERSATIVO. — Practice est idem. Nam, appetere praesentiam boni est practice idem ac fugere praesentiam mali, i. e. appetere absentiam mali. — **NB:** — Sed hoc valet tt. de vita appetitiva, non autem de vita affectiva; — nam, v. gr.: Tristitia de malo praesenti non coincidit cum gaudio de malo absenti.

Pars I. Obiectum voluntatis non est nisi bonum:

Arg. 1. (Quaestio Facti)

Est factum plane notum et quotidie observatum, scilicet, hominem in suis actibus, sive elicitis, sive non elicitis, semper appetere aliquod bonum, saltem sub aliquo respectu, sive sit bonum verum, sive apparens, sive bonum utile, sive bonum delectabile, sive bonum honestum. ERGO:

Arg. 2. (Quaestio Juris)

Sicut intellectus naturaliter inclinat ad VERUM, ut suum Obiectum proprium, ita etiam Voluntas inclinat ad BONUM, tamquam suum obiectum proprium. — ATQUI: Impossibile est facultati, agere contra suam tendentiam NATURALEM. — ERGO: — Voluntas de facto debet velle bonum, et non potest appetere malum, qua malum. (contra Hartmann, Schoppenhauer)

Pars II. Debet appetere «sibi» bonum:

Arg. 1. Voluntas natura sua appetit bonum, uti modo vidimus in parte prima. — ATQUI: — Id, quod per se a NATURA IPSA appetitur, hoc eo ipso (qua appetitum) debet convenire ipsi Subiecto appetenti, secus natura esset «manca», i. e., deficeret in necessariis. (cf. Principium Axiologicum). ERGO: — Voluntas, in bono appetendo eo ipso vult SIBI bonum.

Arg. 2. (Est ARGUMENTUM PRINCIPALE)

Difficultas maxima et principalis oritur, si agitur de operibus vel actionibus **«altruisticis»,** in quibus bonm alterius UT alterius appetitur, vel intenditur. (v. gr. Amor Benevolentiae erga DEUM, erga proximum, actus heroicus...) — ATQUI: — ETIAM in talibus actionibus numquam deest respectus saltem implicitus ad bonum PROPRIUM IPSIUS APPETENTIS. — ERGO: — Vol. semper vult SIBI bonum.

Ad min: — Nam, si ipsum obiectum est bonum, tunc eo ipso actus (scilicet **actus meus**) fit bonus et consequenter totum Subiectum; — et hoc saltem implicite cognoscitur ab ipso Subiecto. — V. gr.: Ego amo DEUM amore BENEVOLENTIAE, i. e. sine directo respectu ad praemium vel ad paenam, quid in tali casu? — Resp.: 1) Scio et cognosco clare, DEUM de facto mereri, ut tali modo purissimo ametur et amplectatur a creaturis; — porro, implicite etiam cognosco, me tali amore valde et magnopere perfici, ideoque talem amorem MIHI ipsi valde CONVENIRE. — 2) Etiam, saltem inplicite scio, DEUM de facto me REDAMARE, et quidem me redamare cum absoluta certitudine et Infallibilitate. — Atqui, talis reactio Divina

tam AMABILIS mihi valde convenit. — Ergo: — Etiam in tali casu, ubi agitur de amore PURO erga DEUM, (i. e. de actu summe altruistico), semper adhuc valet Thesis, scilicet, Voluntatem nostram semper velle bonum, et quidem «SIBI» bonum, saltem sub aliquo respectu.

Corollarium: — 1) Ideo falsum esset et modus valde exaggeratus, immo et prorsus irrationabilis, si aliquis affirmaret, sese amare DEUM, etiam si DEUS eum non redamaret. — Hoc esset absolute impossibile. Ideoque: 2) Ipsi damnati in Inferno nullo modo amare possunt DEUM. Cur non? — Habent facultatem volitivam, quae ex sua natura tendit ad bonum, ideoque ad DEUM, utpote SUMMUM bonum? — Resp.: — Non jam possunt DEUM amare, (abstrahendo a multis aliis rationibus), quia clare sciunt et vehementissime sentiunt, IPSUM DEUM non jam REDAMARE. — Et haec convictio est cognitio et scientia tristissima et maxima infelicitas, status infinite miserior omnibus conditionibus, etsi pessimis huius vitae terrenae. 3) Ideoque altera ex parte, quam magnum Solatium in omnibus desolationibus et miseriis huius mundi, scilicet, intima et certissima nostra persuasio et convictio, DEUM, utpote SUMMUM bonum et Fontem omnium bonorum, NOS amare et maxime nos amare. — 4) Ideo, magnopere interest, ut EUM amemus semper et super omnia cetera potius ut stercora spernere et rejicere velimus, quam DEUM offendere. — (cf. «O DEUS, ego amo Te. . .»)

Obiectio: — Si Thesis nostra valet, ubinam adhuc est differentia inter amorem Benevolentiae et amorem Concupiscentiae? Ubi adhuc differentia inter actus «altruisticos» et «egoisticos»? — Est adhuc differentia, et quidem magna et essentialis. — Nam: **a**) In amore concupiscentiae bonum proprium praefertur, neglecto et spreto (sive totaliter, sive saltem ex parte) DEO, utpote Summo bono. —**b**) Loco Boni Veri scilicet «Boni Honesti» eligitur bonum falsum, bonum tt. «delectabile», neglecto bono vero et honesto.

Scholion 1: — Propter finem agere possumus 4 modis:

1) — ACTUALITER: — scilicet, quando finis explicite cognitus, actu movet voluntatem in seipsum. — Ita v. gr. si aliquam gratiam specialem enixe expetere solemus.

2) — VIRTUALITER: — Quando aliquid operamur vi virtutis, quae ex priori intentione actuali in nobis relicta est. Ita operarius tota die ob spem mercedis laborat, quamvis forte raro actu de ea cogitet. Nam cessante illa spe, a labore statim desisteret .— (cf. Frins, etc.)

3) — HABITUALITER: — Sic opus «habitualiter» dirigitur in finem, si prior intentio (olim actualis) simpliciter non retractatur. — Sic v. gr. si aliquis infantulum baptizat, tunc talis intentio sufficeret. (saepe tt. adest talis intentio).

4) — INTERPRETATIVA: — Si numquam de illo fine cogitaverit, et consequenter numquam actu illum finem intendit, sed de facto et certo intendisset vel hic et nunc intenderet, si aliquid sciret de illa re. (v. gr. Paganus, adorando falsum deum, tamen ex bona fide, tunc «interpretative» et implicite verum DEUM honorat, quia facit, quod potest, et quod ut bonum et legitimum putat inculpabiliter.

Scholion 2: — De actibus appetitionibus:

1) Distingui debet inter actus «spontaneos» (vel instinctivos) et actus perfecte volitos. 2) Alia est distinctio inter «velleitatem» (i. e. optare) et inter velle stricte dictum. Solum «volendo» et non «optando» finem nostrum consequi possumus, praesertim, si media sunt ardua et impedimenta magna et periculosa. Ideo, (secundum Höfler) ipsum volitum et non optatum habetur tamquam mensura excellentiae moralis, saltem, ubi agitur de certis tentationibus vincendis. 3) Iterum alia est distinctio inter «deliberationem» et «electionem» consequentem. (cf. Pfänder). — (Cetera hac de re cf. Psych Experimentalis.)

Nota: — Semper bene distinguere debemus inter energiam voluntatis, et inter intensitatem ipsius affectus. De facto magna affectio cum debili voluntate interdum inveniri potest; — e converso, aliquando magna energia volitiva sine vehementi affectu observari potest. — Talis energia tam preciosa volitiva magnopere non tantum ut talis cognoscitur, sed etiam maxime augetur, si individuum constanter et perseveranter manet in suis bonis propositionibus et operibus virtuosis, non obstantibus quibuscum-

que difficultatibus. (cf. Regula aurea Sancti Jgnatii de Loiola, ubi maxime inculcat perseverantiam, ipsis affectionibus sese opponentibus et contradicentibus, sub adjutorio DEI Gratiae.)

Scholion 3: — Status pathologici volitionis:

Sunt innumeri et saepe inter se valde diversi. Partim causari solent a dispositionibus corporalibus, partim a falsis persuasionibus ipsius intellectus, partim ab influxu ipsius emotionis, sive sensitivae, sive spiritualis. — Ad hoc capitulum pertinent «actiones coactae», «phobiae», etc., quamvis ultimae forte melius inter Pathologias affectionis enumerentur. — **NB:** — His eo ipso saltem implicite indicantur diversi influxus ex parte intellectus et affectus et partis sensitivae in ipsam voluntatem.

Scholion 4: — Diversi actus in electione deliberata:

Ex mente Sancti Thomae hi actus ita ordinantur:

1) — Simplex **Complacentia,** scilicet in bono directe oritur ex ipso bono vel fine intellecto. — Deinde accedit:

2) — ipsa **intentio,** quae est motus voluntatis tendens in finem; (mediis comparatis); est desiderium efficax finis.

3) — Deinde **consilium,** quod est series intellectionm, ad detegenda media, non tantumodo necessaria, sed et apta.

4) — Deinde **consensus,** qui est actus voluntatis, quo quidem adhuc non fit electio, sed tt. acceptantur media, tamquam apta, sed adhuc non ut exsequenda, nisi conditionate.

5) — Ipsa **electio;** est actus voluntatis, quo intentionaliter amplectimur media in particulari, quibus F. obtinetur.

6) — Sequitur **usus;** est alius actus voluntatis, quo immediate applicantur aliae facultates, sive internae, sive externae, ad illa diversa media usurpanda.

7) — Accedit **imperium;** secundum Veteres est actus intellectus, interponendus inter «electionem» et «usum»; — secundum Psychologos modernos autem esset potius actus ipsius voluntatis. (Dicunt, imperium convenire ipsi voluntati.) NB: — Sed dependet de diversis modis considerandi.

8) — Tandem **fruitio;** quae est actus elicitus ipsius appetitus. Est delectatio, quam amans in fine et de fine aquisito habet. Saepe etiam vocatur «QUIES», quia post eius praesentiam contenti et quodammodo quieti sumus. (cf. St. Augustinus: «Fecisti nos Domine ad Te, et INQUIETUM est cor nostrum, donec REQUIESCAT in Te».)

THESIS XXXVII. Volitio non cogi potest; necessitatur quoad beatitudinem, non necessitate exercitii, sed specificationis.

ST. Q.: A. Conceptus: — Diversi explicandi sunt conceptus: scilicet: — VOLUNTARIUM — BEATITUDO — et NECESSITAS.

1) — **Voluntarium:** — Est id, quod procedit a voluntate, cum cognitione Finis. — Vel ita: — Est id, quod modo ELICITIVO procedit a voluntate; — (in oppositione ad modum tt. spontaneum, scilicet, sine ulla deliberatione). Etiam vocari solet «Actus Elicitus». — NB: — Evidens est, non esse idem ac liberum. — «Omne liberum est voluntarium, sed non vice-versa, i. e. non omne voluntarium est etiam liberum».

2) — **Beatitudo: — a)** OBIECTIVE: = id, quod nos reddit felices; i. e. ipsum summum bonum; — i. e. quod nullum malum includit.

b) SUBIECTIVE: = possessio summi boni; — **NB: — In Thesi** de **(a)** tt. Porro: — Ipsa Beatitudo OBJECTIVA ulterius dividi potest: **aa)** — B. IN GENERE: — (est ipsum summum bonum, sed quin consideretur in concreto.) **bb)** — B. in CONCRETO: — (est ipse et solus DEUS.) — **NB:** — In Thesi agitur tt. de **(aa)**.

3) — **Coactio:** — Est actio, quae procedit a principio extrinseco, voluntate contranitente. — V. gr., si latro abit in carcerem. — Porro, haec actio coacta iterum potest esse: vel — **a)** TOTALIS: — si voluntas omnimode contradicit, vel si tota actio totaliter provenit ab extra. — V. gr. in nostro exemplo, si latro fortiter resistit.

b) — PARTIALIS: — si voluntas tt. partialiter resistit.

4) — **Necessitas:** — Adest, si aliquid ita determinatur ad unum, ut aliter fieri de facto nequeat. — V. gr. ignis, (suppositis supponendis) necessarie comburit obiectum combustibile, ita, ut aliter fieri non posset, saltem naturaliter.

a) — Necessitas «EXERCITII»: — Si actus non potest omitti relate ad suum obiectum correspondens. — V. gr.: Beati in caelo non possunt nec uno monento cessare ab amore DEI.

b) — Necessitas «SPECIFICATIONIS»: — Adest, si ipse actus quidem omitti potest, sed, si ponitur, tunc non potest poni actus aversionis. — Sic homo non semper debet actu cogitare de sua felicitate appetenda, et consequenter eam non semper actu appetere debet; — sed, si de facto ponitur actus relate ad hoc obiectum, tunc non potest esse actus aversionis. — Aliis verbis: «Homo semper vult esse felix, saltem implicite. Ideo, si explicite et actu cogitat de sua felicitate, tunc **non** potest serio dicere, sese nolle suam felicitatem». — Hic est sensus in Thesi, saltem quoad Part. III.

Pars I. Volitio cogi nequit. — Nota: — Non lonquimur de illis actibus, quae vocantur «IMPERATAE» vel saltem «IMPERABILES» a volitione. Sic v. gr. actus auditivus, vel perceptio doloris evidenter cogi posset, voluntate totaliter renitente. — Proinde, loquimur unice de actibus «**elicitis**» ipsius voluntatis, vel breviter de ipsissima volitione s. stricto. — Haec cogi nequit. — (cf. Thesis IX. ex Ethica.)

Argumentum: — COACTIO adest, si actio provenit a principio EXTRINSICO, ipsa voluntate contranitente. ATQUI: — Actus voluntatis «ELICITUS» evidenter et ex suo conceptu procedit ab ipsa voluntate — ERGO: — Actus elicitus qua TALIS numquam potest esse coactus.

Ad min: — Est plane evidens. — Nam, sec. suum conceptum est tt. «Voluntarius» vel «Elicitus», in quantum et solum in quantum procedit a voluntate. Ideo, si aliqua actio partim tt. procedit a voluntate, tunc loquimur de voluntario **partiali.**

Pars II Vol. necessitari potest: — Argumentum: — Hoc non repugnat. Nam: — Illa actio est necessaria, quae determinatur ad unum, ita, ut aliter fieri non posset. (v. gr. ignis ita determinatur ad agendum, (i. e. ad comburrendum) ut aliter fieri non posset naturaliter. — ATQUI: Hoc non pugnat contra conceptum volitionis. ERGO:...

Ad min: — Nam sufficit, ut procedat «elicitive» a voluntate ipsa, utrum «necessarie», an «libere», haec est alia res, quae non intrat in quaestione.

Pars III. De facto necessitatur quoad beatitudinem, et quidem necessitate «specificationis»:

NB: — 1) Loquimur tantum de hac vita terrena. 2) Loquimur tantum de necessitate «Specificationis». — Nam, non adesse necessitatem «Exercitii», clare ostenditur in Parte IV. — Quoad (1.), non ita esse in caelo, est evidens. Nam Beati absolute necessarie amant DEUM, et necessitate specificationis, et necessitate exercitii.

Argumentum: — Nam, si aliquis cogitat de sua propria felicitate, (et quidem explicite et actu cogitando), tunc non potest eam positive nolle, i. e non posset serio dicere: «nolo esse felix». — ATQUI: — Haec est necessitas «Specificationis». ERGO:...

Ad maj.: 1) Est factum evidens. — 2) Secus voluntas posset velle malum qua malum, quod est falsum, et evidenter peccaret contra Thesim XXXVI.

Pars IV.... sed non adest necessitas «exercitii»:

Argumentum: — Essset necessitas exercitii tantummodo, si homo semper deberet ACTU et ELICITE velle ipsam suam felicitatem. — ATQUI: — Hoc est negandum. ERGO:...

Ad min: — 1) Est factum evidens. Nam, possum hic et nunc omittere talem cognitionem et consequenter etiam omittere correspondentem volitionem. — 2) Tale exercitium tantummodo tunc esset necessarium, si homo jam hac in vita simpliciter et intuitive cognosceret Deum, utpote bonum simpliciter et absolute summum. Atqui, hoc evidenter non obtinetur in hac vita terrena. Ergo:...

Corollarium: — OBIECTIO: — 1) Si aliquis vellet deambulare, sed non accipit licentiam, tunc de facto cogitur manendi domi? — Resp: — **a)** Nego suppositum, jam agi de Coactione. — **b)** Etiamsi adesset vera coactio, tunc saltem ipsa volitio non «cogeretur», nec posset cogi. — 2) Si aliquis includitur in cubiculo, saltem tunc volitio cogitur? Resp.: — Utiquó, in tali casu homo cogitur, sed tt. quoad actus a voluntate **imperabiles,** sed non quoad suos proprios actus (scilicet **«elicitos»**).

Scholion 1: Idem inculcatur a **Sancto Anselmo,** qui dicit: «Ligari potest homo invitus, quia nolens ligari, tamen ligari potest. — Velle autem non potest invitus, quia nolens velle, non potest velle».

Scholion 2: VOLUNTARIUM ex affectione ingrata minuitur. De metu (et de quolibet affectu ingrato) valet: Ea, quae ex solo metu fiunt, simpliciter manent voluntaria; ideo, si aliquis latroni pecuniam dat ex metu mortis, retinet appetitum inefficacem retinendae pecuniae, sed absolute vel simpliciter eligit illam dare, ut maius malum evitetur. Ideo, illa, quae ita fieri solent, generatim manent voluntaria «secundum quid», in quantum actio conjuncta esse solet cum appetitu inefficaci contrario. Ideo, in nostro casu «dare pecuniam» est voluntarium «simpliciter», (quia simpliciter dat et consequenter simpliciter vult), et «non dare pecuniam» esset voluntarium «secundum quid». (cf. Ethica, ubi fusius agitur de Voluntario)

Scholion 3: Prorsus aliter res se habet in affectu grato. (NB: — Affectus gratus vocatur «Concupiscentia») Concupiscentia per se causat, immo et augere solet voluntarium, quia valde inclinare solet voluntatem, ad illud obiectum appetendum. Delectatio enim est aliquod bonum, ideoque voluntatem ad se trahere valet. (cf. iterum idem Capitulum ex Ethica). — Nihilominus, ipsa naturalis tendentia voluntatis ad obiectum delectabile amplectendum, ab ipsa voluntate, utpote facultate libera, sperni et vinci potest, etsi forte magna cum difficultate. Porro, eo excellentius erit opus, eo laudabilior victoria et eo maius meritum, quo fortius et constantius voluntas resistit, non obstantibus tentationibus vehementibus.

THESIS XXXVIII. Libertas humana probatur ex testimonio conscientiae. (= ARGUM. PSYCHOLOGIC.)

ST. Q.: A. Conceptus: — LIBERTAS multipliciter sumitur, i. e.: Sensu lato, sensu stricto et sensu latissimo:

1) — S. LATISSIMO: — Est immunitas ab aliqua re; v. gr. a labore.

2) — S. LATO: — Est immunitas a coactione; — v. gr. sic planta libere crescere dicitur, si non adest impedimentum.

3) — S. STRICTO: — Est immunitas a necessitate **intrinseca.** (Vocari solet **«Liberum arbitrium»).** — Accuratius ita **definiri** potest: Libertas est illa facultas, qua, positis omnibus ad actum necessariis, actus tamen potest poni, vel non, vel potest eligere vel hoc vel illud.

Nota: — Ut aliqua volitio de facto et reapse sit libera, praerequiritur **«judicium indifferens»,** scilicet, intellectus debet cognoscere, ipsum obiectum vel actum non esse absolute necessarium hic et nunc, i. e. obiectum (vel actum) hic et nunc esse «indifferens». — Praecise propterea libertas etiam vocari solet «**libertas indifferentiae**». Alia de hac re cf. Corollarium.

Porro: — Haec libertas sensu STRICTO sumpta iterum est:

a) «Contrarietatis». — si eligitur inter bonum et malum... Non est de essentia libertatis, sed potius defectus ipsius creaturae liberae, ratione eius imperfectionis.

b) — vel **«exertitii»** (vel «CONTRADICTIONIS»): Si actus libere potest poni, vel omitti. — (contrarium vocatur «necessitas» exercitii).

c) — vel **«specificationis»:** — si adest libertas eligendi unum vel alterum ex actibus specifice DIVERSIS. — V. gr. inter «deambulare» et «dormire», etc.

B. Adversarii: Deterministae, (sive sint Materialistae, sive Pantheistae, sive Monistae, sive Positivistae...) V. gr. Spinoza, etc. — Etiam Calvinistae, Manichaei, Jansenist.

C. NOS: — (et nobiscum multi alii, qui non sunt Scholastici, uti v. gr.: Cartesius, Leibnitius, Locke, Hamilton, etc.). NOTA: — 1) Loquimur de libertate sensu STRICTO, et quidem de (**a**) et (**b**) et (**c**), sed praesertim de (**c**). — 2) Non dicimus, voluntatem nostram esse absolute liberam, i. e. independentem ab inclinationibus, affectibus, circumstantiis etc. — Hic esset Indeterminismus **«absolutus»**. — Nos autem defendimus Indeterminismum **«moderatum»**, i. e., libertatem nostram de facto restringi vel «moderari» multis et variis factoribus. — (cf. Ethica et SCHOLION 3 ex Th. XXXVII.)

Arg. 1. (Ex facto interno ipsius **«deliberationis»**): Clare distinguimus inter actus deliberatos et inter actus non deliberatos, (praesertim, si versamur in magna tentatione). — ATQUI: — Si nulla libertas adesset, cur in tali casu adhuc deliberare? Esset deliberatio prorsus superflua et irrationabilis. — Cur deliberare si omnia fierent necessitate interna? — ERGO:...

Arg. 2. (Ex interna **«persuasione»** ipsius **«libertatis»**): Existit in nobis PERSUASIO constans et universalis, invincibilis et intima, scilicet, actus meos deliberatos (certis et debitis adjunctis) **«libere»** poni. — ATQUI: — Talis PERSUASIO tam intima, etc., est signum CERTISSIMUM Libertatis nostrae. — ERGO: — Clare sequitur Libertas...

Ad maj.: — 1) — **Ante** Decisionem: — **a)** Sentio, me **propria** determinatione agere; — hoc vel illud velle posse; — et quidem eodem tempore, eisdem adjunctis, etc. — **b)** Hoc praesertim elucet, si agitur de actibus (obiective) mere indifferentibus, uti v. gr. «movere manum meam», etc. — Possum non tt. «determinare», sed «**prae**determinare» et consequenter clare et certo praescire, quod esset impossibile, si non plane dependeret de mea libera praedeterminatione.

2) — **IN** Decisione: — Ibi saepissime mihi clare constat, me etiam modo contrario agere posse. Praecipue hoc verificari solet in magna **tentatione**, et praesertim, si resisto fortiter et constanter. Tunc clare sentio illam pugnam, quod esset inexplicabile sine libertate. (cf. Th. XL.)

3) — **Post** Decisionem: — Sentio remorsum conscientiae et tristitiam, si non bene et fortiter pugnaverim. E contra: magnopere gaudeo de victoria, et quidem maxime gaudeo, quia scio, me **libere** restitisse contra inimicum. ERGO:

4) — Et haec **non** tt. est **mea sola** persuasio, sed intima et universalis persuasio omnium hominum, saltem, si modo rationabili et modo sincero procedere volunt.

Ad min.: — Talis Persuasio est **certum** Signum Libertatis. Nam: — 1) — Talis persuasio, in re tam magni momenti, tam universalis, de facto non potest esse illusio, secus ipsa natura humana deficeret in necessariis, et quidem in rebus maxime necessariis, utpote moralibus. — 2) De facto Adversarii nostri in vita practica ita procedere solent, sicut nos. — ERGO:...

Corollarium 1: — Secundum illa, quae diximus in Statu Quaestionis relate ad «Judicium indifferens», dicendum est hoc: — Si intellectus noster de aliquo obiecto vel de aliquo actu nobis prorsus **nihil** proponit, quod sit bonum, saltem sub aliquo respectu, etsi tt. apparenti, tunc in tali casu cessat libertas, i. e., in tali casu non possumus velle illud obiectum, vel illum actum. (cf. Th. XXXVI. ubi clare probatur, voluntatem non posse velle malum, qua malum). — Ideo v. gr. non possum hic et nunc me praecipitare in abysmum, quia in tali actu non video bonum aliquod pro me, neque honestum, neque utile, neque delectabile, neque verum, neque apparens. — Aliter in casu v. gr. incendii. Nam: In tali casu ipsa praecipitatio esset aliquod bonum pro me, saltem apparens. — **Obiecto:** — Sed quomodo aliquis adhuc capax est, sese occidendi, si illa omnia valent, quae diximus? — Resp: — Facillime explicatur; — nam talis infelix in sua propria morte, saltem pro momento, putat invenire aliquam felicitatem, vel saltem absentiam mali praesentis. — **Insto:** — Saltem argumentum ex interna persuasione nihil probat; — nam, etiam in somniis saepe putamus libere agere, quamvis sit mera et pura illusio; — ergo, nostra persuasio de libertate est illusio? — Resp.: — Nego consequens, quia hac in re nulla est paritas inter statum vigilem et somnium, utpote statum abnormalem.

Corollarium 2: Quod modo observatum est relate ad somnium, similiter valere debet relate ad statum hypnoticum, aliosque diversos status abormales. Relate ad statum «posthypnoticum» distinguere oportet inter diversa obiecta. — Nam in tali casu dispositio abnormalis restringi solet ad certos tantum actus.

THESIS XXXIX. Libertas clare constat tamquam fundamentum necessarium ordinis moralis. (= ARG. MORALE).

ST. Q.: A. Conceptus: — (cf. Definitio in Thesi XXXVIII.)

B. Adversarii: — Existit duplex classis Adversariorum hac in Thesi. Ut melius distingui possunt inter se, anticipetur argumentum nostrum in forma brevissima, scilicet: — EXISTIT ORDO MORALIS: — ATQUI: — ORDO MORALIS ESSET INPOSSIBILIS SINE LIBERTATE: — ERGO: — EXISTIT LIBERT'. NUNC, quid dicunt Adversarii relate ad hoc Argumentum?

I.ª Classis: — (Deterministae **minus** RADICALES) Dicunt sic: Concedo MAIOREM, sed nego MINOREM. — Ergo; nego Conclus. — Quoad MINOREM ita dicunt: — Fundamentum Moralitatis non est libertas, sed «CAUSALITAS», et quidem non causalitas libera, sed necessaria; quo maior necessitas, eo maior causalitas, et consequenter eo maior imputabilitas et responsabilitas. — Ita illi argumentari solent, putantes, sese sic salvare posse ordinem moralem, quem negare nullo modo conantur. — (cf. Wundt, Paulsen, Jodl, etc) — Nos: — nego; secus lapis, cadens e tecto, etiam esset responsabilis pro casu.

II.ª Classis: — (Deterministae **radicales**) — Dicunt ad Arg.: — Nego MAJOREM et transeat MINOR. — (Aliqui ex illis etiam negant Minorem, sed non omnes.) In toto casu, omnes ex hac II.ª Classe negant MAJOREM, scilicet, negant existentiam Ordinis MORALIS; — Ideo datur tt. «Correctio» et non «poena». Non datur «educatio», sed tt. «domitus». (cf. Kant Emmanuel, Liszt, etc. — sed non est ille musicus) —

C. NOS: — Defendimus Libertatem et quidem ita: — Contra I. classem probamus, Libertatem esse fontem UNICUM et consequenter fundamentum NECESSARIUM «MORALITATIS». — Contra II. classem defendimus, Ordinem «MORALEM» de facto existere. — **NB:** — Dicimus, ord. moral. «**de facto**» existere; — hoc nobis sufficit pro argumento. — P. Fröbes dicit plus, scilicet Ord. moral. «NECESSARIO» existere; — et ex tali necessitate argumentatur. — (Optime sic procedere licet; nihilominus nos abstrahimus a tali necessitate in argumento. Ideo contenti sumus cum quaestione «FACTI» et omittimus Q. «JURIS»).

Argumentum: EXISTIT ORDO MORALIS. — ATQUI: — ORDO MORALIS UT FUNDAMENTUM NECESSARIUM POSTULAT LIBERTATEM. — ERGO: — EXISTIT LIBERTAS UTPOTE FUNDAMENTUM ORD. MORALIS.

Ad maj.: — EXISTIT ORDO MORALIS. — Nam:

1) Haec est persuasio intima et universalis hom.

2) Constat ex reflexione et experientia interna. Nam:

a) (teste tali experientia interna) existit «**lex moralis**» i. e. «**vox conscientiae**», quae dicit: «Fac hoc», «omittas illud» ideoque imperat et nos de facto (moraliter) impellit. Ideo vocatur etiam «Impulsus Moralis» vel «Factum intern.»

b) Illa vox non tt. sentitur tamquam «LEX», scilicet ANTE actum, sed percipitur etiam tamquam «**sanctio**»; — i. e. opere bono peracto, sentitur PAX et TRANQUILITAS interna. — E contra: — peccato commisso, sentitur REMORSUS et tristitia interna; — NB: — Utique, ipsa sanctio aeterna et perfecta non directe percipitur, sed tt. mediante reflexione aliqua; sed ab hac sanctione perfecta abstrahitur in argumento, quia non necessario requiritur ad probationem formandam.)

c) Consequenter et de facto sentimus «**obligationem**» sequendi talem vocem. (vocatur «Obligatio interna».)

d) Sequitur et de facto sentitur modo instinctivo, sese habere etiam «**JUS**» (= Jus Morale), adhibendi media apta, ad safisfaciendum tali Obligationi internae. (ideoque zelus et indignatio justa et «instinctiva», si homines nos impedire conantur, quominus tali «JURE» utamur).

e) Consequenter sequitur, et etiam sentitur **«responsabilitas»,** v. gr., si aliquis fungi debet munere magni momenti. — ATQUI: — Haec OMIA simul sumpta (scilicet: a, b, c, d, e.) constituunt «ORDINEM MORALEM». — ERGO: — EXISTIT ORDO MORALIS.

Ad min.: — LIBERTAS EST FUNDAMENTUM ORDINIS MORALIS: — Nam:

a) — Nullum sensum haberet illa VOX (Lex moralis), si de facto non existeret Libertas. V. gr.: Cur et quo jure illa vox hominem impelleret ad hic et nunc bonum faciendum, si homo hic et nunc necessarie impelleretur ad opus malum faciendum? — Cur illa vox impelleret latronem ad pecuniam non auferendam, si necessarie determinaretur ad pecuniam auferendam? Talis vox de facto nullum sensum haberet. — **b)** Cur et quo jure ille **remorsus** opere malo patrato, si homo non habuit libertatem omittendi opus? (a fortiori rueret Sanctio AETERNA.) **c)** Quomodo vera **Obligatio** interna, si non adest libertas? **d)** Consequenter nullum esset **Jus** et **e)** nulla **Responsabilitas,** si non adesset Libertas.. — ERGO: — LIBERTAS est de facto FUNDAMENTUM NECESSARIUM ORDINIS MORALIS.

Ad Conclusionem: — ERGO: — Si de facto existit «ORDO MORALIS» (uti clare probavimus in MAJORE contra Liszt et ceteros Deterministas Radicales), porro, et si de facto constat, LIBERTATEM esse FUNDAMENTUM prorsus necessarium pro Ordine Morali, (uti clare probavimus in MINORE (contra Wundt, etc.), tunc nihil sequitur, nisi CONCLUSIO UNICE LEGITIMA, scilicet, EXISTERE DE FACTO LIBERTATEM, tamquam Postulatum Ordinis MORALIS.

Corollarium 1: Diximus in ST. Q., Libertatem esse fontem necessarium et «UNICUM» Ordins Moralis. Evidenter nolumus excludere Ipsum DEUM, tamquam Fontem supremum et principalem Ordinis Moralis. Loquimur in Thesi tt. de fonte vel de fundamento **proximo.** Utique, in tali casu ipsa Libertas recte vocari potest fundamentum quodammodo unicum, saltem **in suo genere.** Finaliter nolumus defendere hoc vocabulum in Thesi. Defendimus tt., Libertatem esse fundamentum **«necessarium»** pro Ordine

Morali. Et hoc sufficit et facillime probari potest, uti ostendimus.

Corollarium 2: Diximus, Kant esse etiam Adversarium nostrum hac in Thesi. Videtur, quod non? Ipse enim expresse statuit Libertatem tamquam «Postulatum» Rationis practicae? Ergo, clare defendit Libertatem? — Resp.: Nego; — nam ex Historia Philosophiae scimus, Kant «rationi practicae» nullum valorem scientificum concedere. Item scimus, ipsum in sua «Critica Rationis Purae» expresse negare libertatem humanam. Nam, secundum doctrinam ipsius Kt. omnia fiunt absolute necessario, etiam in homine.

Corollarium 3: Jam indicavimus in ipso St. Q., P. Fröbes probare Libertatem ex «NECESSITATE» Ordinis Moralis; — evidenter sic probari potest Thesis, et optime probavit. Nihilominus abstraximus a quaestione juris, et contenti sumus cum probatione facti. — Cur? — Resp.: 1) quia omnino sufficit; 2) quia tali modo argumentatio facilius fieri potest. 3) Porro, de illa Necessitate ordinis Moralis fusius erit quaestio in Ethica. — **Deinde:** — In aliquo 2.º Argumento Auctor probat, Sanctionem sine Libertate esse inefficacem. — Iterum: Optime fieri potest. — Attamen, nos de facto probavimus adhuc plus in nostro Argumento. Nam, ita argumentati sumus: — Sine Libertate SANCTIO et LEX MORALIS etc. non tantummodo carerent omni efficacitate, sed statuerentur sine ullo fine et sine ullo recto sensu et esset eo ipso contra rectam rationem, quod sane nemo affirmare potest. Ergo: Nihil remanet, nisi ut admittatur Libertas. — ERGO: — Rejiciendus est «DETERMINISMUS», sive sit primae, sive sit secundae classis. — Vocatur etiam «Fatalismus».

Scholion: — OBIECTIO: — Sed undenam venit certa constantia actionum, si adest libertas? — Ita v. gr. numerus criminum in certis regionibus est fere constans in quolibet anno. Idem dicendum erit de numero matrimoniorum, etc. ergo: Ubinam manet Libertas? — Resp: — Nullo modo est contra Thesim. Potius contrarium. Talia facta loquuntur in favorem thesis nostrae, quia non defendimus aliquam libertatem absolutam, sed restrictam et

limitatam. Inculcavimus, voluntatem dependere non tt. de motivis, sed etiam de aliis factoribus, sive internis, sive externis. — Ideo, Systema nostrum recte vocari potest «INDETERMINISMUS MODERATUS», et sic quodammodo mediam partem tenet inter «DETERMINISMUM» et inter «INDETERMINISMUM ABSOLUTUM»,

THESIS XL. Libertas non contradicit principio causalitatis. Neque legi uniformitatis naturae; Immo: Positive sequitur ex «judicio indifferenti». (= ARGUMENTUM METAPHYSICUM.)

ST. Q.: Nota: — Haec Thesis de facto est summi momenti. Verum est, Libertatem per se jam sufficienter probatam esse in Thesibus XXXVIII. et XXXIX. — Nihilominus restat adhuc unum Argumentum, et quidem PRINCIPALE, (quod adsolute probat, et quidem necessitate METAPHYSICA. Ideo Nomen.) Cetera hac de re, cf. in Corollario.

Nomen: — 1) Vocatur «METAPHYSICUM»: — a) quia argumentum deducitur ex ipso Conceptu Metaphysico; uti modo indicavimus; (quamvis etiam arg. et Psych. et Morale sint vere peremptoria); — 2) Vocatur arg. ex «JUDICIO INDIFFERENTI», quia ex illo deducitur tota vis argumentationis.

Conceptus: — Quid tandem aliquando requiritur ad actum liberum? Resp.: — **a)** CONCURSUS ex parte DEI, quod est per se evidens; — **b)** Certum et determinatum Obiectum, sive sit abstractum, sive concretum; — **c)** Motivum, quo voluntas inclinatur ad illud obiectum; — **d)** Attentio ipsius Intellectus; — **d)** Ipsum «JUDICIUM INDIFFERENS» ipsius Intellectus (quod evidenter est punctum principale); **NB:** — Quid hoc significat, jam scimus, scilicet: Intellectus debet: **aa)** ipsi voluntati aliquod obiectum proponere, et quidem claritate sufficienti; — **bb)** Debet ostendere, illud obiectum esse aliquod bonum, et quidem pro hic et nunc, saltem sub aliquo respectu. — **cc)** Debet ostendere, illud bonum **non** esse absolute necessari-

um, saltem non pro momento, aliis verbis, esse hic et nunc aliquod bonum «INDIFFERENS». (ideo Nomen). — Finaliter f) Ultima conditio est ipsa facultas volitiva, i. e. «INDIFFERENTIA ACTIVA» voluntatis, quae intime cohaeret cum «Judicio indifferenti» intellectus. Unum sine altero non potest existere. — His praesuppositis, «Liberum Arbitrium» ita definiri potest:

Definitio: — Libertas est indifferentia activa voluntatis, quae necessarie supponit judicium indifferens intellectus.

Pars I. Libertas non contradicit principuo causalitatis:

ADVERSARII: — «Omnis causa sufficiens necessario habet suum effectum». — Resp.: — Nego; — quia nego suppositum; nam illud Principium Causalitatis prorsus aliter sonat, scilicet: «OMNIS EFFECTUS NECESSARIO SUPPONIT SUAM CAUSAM EFFICIENTEM», — (ita et non vice-versa).

NB: — Utrum illa causa sit libera an necessaria, est alia quaestio et nullo modo tangit ipsum principium causalitatis. (cf. Ontologia.)

Pars II. Libertas non contradicit legi uniformitatis:

ADVERSARII: — Secundum «Legem Constantiae vel Uniformitatis dicendum est ita: «Eadem causa, in eisdem adjunctis semper eundem effectum producit». — (ergo, ruit libertas.) Resp.: — Nego, quia iterum nego suppositum, scilicet, hanc legem valere etiam de **voluntate;** — valet in sua universalitate tt. de brutis, plantis et anorganicis. De homine etiam valet haec lex, sed tantummodo relate ad illos effectus, qui non dependent a libera determinatione voluntatis.

Nota: — Ipsi Deterministae practice hoc concedere solent et rationabiliter debent, uti jam supra diximus. Ideoque ipse Kant statuit sua «Postulata practica».

Pars III. Libertas positive probatur ex judicio indifferenti: — (ARGUMENTUM METAPHYSICUM)

Arg. 1. Intellectus multa nobis proponit tamquam non necessaria, saltem pro hic et nunc. (= «Judicium indiffer».) ATQUI: — In tali casu ipsa volitio eo ipso debet esse libera. — ERGO: — Libertas sequitur ex judicio indifferenti.

Ad maj.: — Est factum evidens, quod sane nemo negare potest.

Ad min.: — Est aeque evidens; — secus adesset repugnantia et contradictio inter ipsas facultates nobilissimas, scilicet inter intellectum et voluntatem. — Porro, esset illusio continua et gravissima et quidem in re maximi momenti, et quae illusio nullo modo naturaliter corrigi posset. ERGO:

Arg. 2. (Idem alio modo):

Voluntas tt. illud necessario vult, quod de facto potest satiare et implere desiderium felicitatis. — ATQUI: Evidenter multa nullo modo satiant, neque satiare possunt desiderium felicitatis nostrae. ERGO: — Relate ad talia obiecta voluntas est libera, saltem per se.

Corollarium 1 Diximus in argumento ultimo, voluntatem in tali casu esse liberam, scilicet, saltem PER SE. Cur addimus hoc? Resp.: quia utique, per accidens talis Libertas impediri posset, v. gr. in casu aliquo abnormali. Deinde, posset aliquis dicere, similem cogitationem jam in praecedentibus argumentis passim occurrere? — Utique, sed non tam expresse, et certe non, ad ipsum argumentum ut tale constituendum. In hac Thesi autem constituit ipsam vim argumentationis.

Scholion 1: Cur tunc homo liber est relate ad DEUM? Clare scit, DEUM esse summum bonum et nobis absolute necessarium, sine QUO maneret infelix in aeternum. quomodo tunc manet Libertas? Et consequenter, quomodo adhuc peccare potest? Resp: — Solutio est haec: Quia homo **hac in vita** DEUM non percipit intuitive et ideo tt. modo **imperfecto;** (etiamsi modo vero, uti proba-

vimus in Theodicea) — Porro; Praecise propterea bona particularia, praesertim sensibilia saepe maiorem influxum in hominem exercere valent, ac summum Bonum, utpote tt. imperfecte cognitum. Deinde venit adhuc alia consideratio, scilicet: Peccator, committendo aliquod peccatum grave, semper aliquo modo sperare potest, sese non statim mori, ideoque adhuc veniam accipere posse. Utique, concedendum, immo et inculcandum est, hominem in tali casu stultissime procedere. Ideo, jam in Vetere Testamento vocatur peccator tamquam homo stultus et irration.

Scholion 2: Est aliquod AXIOMA, quod ita sonat: «Quiquid movetur, ab alio movetur». — Ergo, quomodo voluntas sese movere potest, et quidem libere, si ab alio movetur? — Resp.: Illud Axioma tt. vult dicere, ens motum non posse habere causam **adaequatam** (motionis) in se ipso. Et ex hac veritate praecise formatur argumentum «Kinesiologicum», quo probatur existentia DEI, utpote Primi et supremi MOTORIS omnium rerum. (cf. Theodicea).

Insto: Sed quomodo conciliari potest CONCURSUS DIVINUS cum libera electione creaturae? — Resp.: Etiam haec quaestio pertinet ad Theologiam Naturalem. Sed jam nunc notari debet, esse finaliter Mysterium stricte dictum. — Factum autem libertatis non tt. non est Mysterium, sed clare elucet ex argumentis supra allatis, praesertim ex argumento METAPHYSICO.

Alia OBIECTIO: — Quomodo libertas stare potest cum lege «Constantiae energiarum»? — Resp: — Nullo modo tangitur haec lex, quia valet tt. in mundo anorganico. — De energiis vitalibus a fortiori spiritualibus et liberis nihil dicitur in Physica et in Chimica.

THESIS XLI. Imperium intellectus non necessario ad omnem volitionem liberam efficaciter determinat voluntatem

ST. Q.: A. Conceptus: — 1) INTELLECTUS SPECULATIVUS: — Est ille, qui nobis aliquod obiectum tamquam

conveniens vel non conveniens proponit, sed tt. in ABSTRACTO. — E contra: 2) INTELLECTUS PRACTICUS: nobis aliquod obiectum proponit in concreto, tamquam hic et nunc conveniens vel inconveniens. — Loquimur in Thesi tt. de Intellectu PRACTICO:

B. Adversarii: — (Plures Thomistae, uti Johannes a St. Thoma, Soto et alii), putant, IMPERIUM ipsius intellectus «PRACTICI» necessario praecedere OMNEM actum liberum voluntatis. (similiter St. Bellarminus, De Medina etc.).

C. NOS: — (Cum Henrico Gandavensi, cum Scotistis, cum Palmieri et aliis) negamus hoc.

Argumentum: Secundum Adversarios valet hoc: — 1) **Ante** imperium ipsius intellectus (practici) voluntas nullum actum ELICERE posset. — 2) **Post** illud imperium vol. ad UNUM necessario determinaretur. — 3) Et ipsum imperium evidenter non esset liberum. ATQUI: — Tali modo plane evanescit omnis vera libertas volitionis. ERGO:...

NB: — Confundunt inter rat. **determinantem** et **sufficientem.**

THESIS XLII. Voluntas non necessario eligit bonum «melius», vel illud, a quo magis allicitur.

ST. Q.: 1) Evidens est, voluntatem non posse eligere «minus» bonum **qua minus** bonum. (Hoc pugnaret contra Thesim XXXVI.) — 2) Evidens est etiam, esse rationabile et valde conveniens, semper eligere bonum «melius». 3) Sed negamus, voluntatem necessario ita procedere. — ADVERSARII: — Sunt praesertim Vasquez, Leibnitius, et alii.

Arg. 1. Est factum evidens, multos homines quotidie eligere «minus» bonum, non obstante cognitione clara et distincta et deliberata. (Hoc fit in peccato; homo peccans eligit bonum tt. delectabile et spernit bonum honestum, immo, et ipsum DEUM, quamvis clare cognoscat, esse

maximam distantiam inter talia bona). ATQUI: — Contra factum de facto non valet argumentum. ERGO: Valet Thesis...

Arg. 2. Rueret tota Libertas «SPECIFICATIONIS». Nam eligere unum ex 2 perfecte aequalibus retinet quidem nomen «electionis», sed reapse non jam est vera electio. (saltem non sensu stricto). — ATQUI: — Sec. Adversarios esset unica electio adhuc possibilis. — ERGO:...

Arg. 3. Tantum SUMMUM bonum de facto hominem necessitare valet. — ATQUI: — Nullum bonum creatum est summum bonum. (Utrum sit bonum minus, an maius, etc., nihil refert). ERGO: — Homo non necessario vult bonum melius.

Arg. 4. Si semper et necessario eligeret bonum melius, qua melius, tunc de facto non posset eligere inter bona perfecte aequalia. — ATQUI: — Tale quid certo nemo affirmare vult. — ERGO: — Iterum valet Thesis.

Corollarium: Iterum inculcamus, quod jam diximus, scilicet quod nos non dicimus, voluntatem posse eligere minus bonum qua **tale.** Sed potest eligere minus bonum, QUAMVIS sit minus bonum. — Hoc fit in actu peccaminoso, uti etiam diximus in ST. Q. — Sed, cur tunc voluntas eligit minus bonum? Forte deficit ipsa libertas propter vehementem passionem? — Resp.: Nullo modo destruitur libertas, sed tt. minuitur. Sed cur facit? Resp: — Ultima solutio est, quia in tali casu creatura infelicissime deficit in sua BONITATE. — Ideo eligit minus bonum, quia a tali hic et nunc magis allicitur. — OBIECTIO: — Ergo, manet verum, semper eligere voluntatem illud obiectum, a quo magis allicitur? — Resp.: — Nullo modo. — Posset prorsus aliter procedere, et in hoc consistit culpa.

THESIS XLIII. Anima humana est permanens substratum actuum psychicorum ideoque vera substantia.

ST. Q.: O. Adversarii: — 1) EMPIRISTAE: — Dicunt, to «Ego» non esse nisi complexum statuum psychicorum,

associatione junctorum. — Secundum illos non «ego» cogito, sed fiunt cognitiones meae. — Quaelibet functio psychica esset tt. reactio passiva, et nullo modo activitas spontanea. (cf. v. gr. Locke, Hume, Ebbinghaus, etc.)

2) — Emmanuel Kant: — Secundum Kant (in sua «Psychologia - Transcendentali») distinguitur 3 plex «Ego», scilicet; a) «Ego empiricum»; — quod simili modo intelligi debet uti «Ego»» secundum Empiristas, — b) Tò «Ego Transcendentale»; quod non est aliqua substantia, sed ens mere accidentale; — c) «Ego Transcendens»; = est ipsa anima, eo sensu, quo vulgo intelligi solet. — Sed quoad talis est aliquod ignotum «**X**», et nullo modo obiectum alicuius scientiae.

B. NOS: — In Thesi defendimus, animam esse de facto PERMANENTEM, i. e. unam eandemque animam permanere per totam vitam; — deinde in secunda parte probabitur, animam esse substratum actuum psychicorum nostrorum; — aliis verbis, esse veram SUBSTANTIAM; **NB:** — Quoad ipsam «permanentiam» cf. in Corollario.

Pars I. Anima humana est substratum permanens; i. e. una eademque anima per totam vitam:

Argumentum: Per totam vitam, a nativitate usque ad mortem sentimus et experimur **idem** semper «**ego**» cogitare, velle, agere, pati, affici, gaudere, contristari, etc. ATQUI: — Talis experientia tam universalis et constans et uniformis et invincibilis nequit esse aliqua mera illusio. (secus rueret principium «axiologicum») — ERGO: — Manet semper idem «ego, sibi prorsus identicum, quod vocatur «anima».

Pars II. Anima est substratum actuum psychicorum, i. e. est vera substantia:

Arg. 1. Certo existit in homine accidens spirituale, uti v. gr. VOLITIO, INTELLECTIO, ect. (cf. Thes. XXV. et XXXV.) — ATQUI: — Tunc eo ipso debet etiam existere correspondens subiectum vel substratum substantiale, quod vocatur «anima».

Arg. 2. Anima aut est substantia, aut accidens. — ATQUI: — Certo non est accidens. — ERGO: — Debet esse substantia.

Ad min: Accid. est id, cui competit esse in alio ut in subiecto; — Atqui; — anima certo non est in alio ut in subiecto, secus **a)** esset series infinita causarum, quod evidenter repugnat. — **b)** De facto dicendum est, illud «EGO» esse ultimum elememntum, ad quod omnes processus interni reapse reducuntur, sive sint activitates vegetativae, sive sensitivae, sive intellectuales, sive sint cognoscitivae, sive affectivae, sive appetitivae.

Corollarium: — OBIECTIO: — Eadem experientia adest relate ad nostrum corpus. Nihilominus, quoad corpus nostrum nulla est permanentia? — Ergo, talis experientia relate ad animam, scilicet ad eius «permanentiam» non est argumentum certum? — Resp: 1) Nego suppositionem, eandem convictionem manere quoad corpus; — potius dicendum erit, nos quotidie experiri mutabilitatem et transformationem nostri corporis. — 2) Altera ex parte negandum erit, corpus nostrum totaliter mutari. —**Nota:** Hac de re hodie duplex est sententia inter Biologos modernos: **I.ª** Sententia: Corpus humanum totaliter modificatur per decursum temporis, ita ut septimo quoque anno tota substantia corporea sit prorsus alia, quam ante septem annos. — **II.ª** Sententia: (et haec ex mente Biologorum modernorum est hodie sententia probabilior): Dicunt, non omnia elementa mutari; ideoque aliqua elementa manere per totam vitam. — Ideo conclusio: Illa experientia interna relate ad permanentiam corporis 1) non est vere illusoria (uti Adversarii dicunt); 2) neque eadem experientia manifestari solet relate ad corpus et ipsam animam. In ultimo casu est convictio stricta, in primo casu non. — Porro, etiam ex mente illius I. Sententiae de facto semper maneret aliqua vera identitas, scilicet, quia illa transformatio, etiamsi esset totalis, tamen non fieret subito, sed paulatim.

Conclusio: — Quoad ANIMAM experitur absoluta et strictissima IDENTITAS, quae nullo modo valet de corpore, ideoque neque sentitur.

Scholion; Ideo, falsum est, quod affirmat Emmanuel Kant, scilicet, ANIMAM humanam esse aliquod ignotum «X»; — Est quid valde notum. Utique, neque directe videri, neque tangi, neque ullo sensu attingi potest, quia est ens simplex, immo et spirituale, quod suo tempore probabitur. (cf. Thesis XLIV. et Thesis XLV.)

Porro: Aeque bene et clare constat ex tota Thesi XLIII., animam nostram esse quid concretum, singulare et individuale, et non quid universale, omnibus hominibus commune, uti multi Monistae moderni putant, similiter, uti jam Plotinus affirmavit. (cf. Historia Philosophiae.)

OBIECTIO: — Sed factum «duplicis Conscientiae», clare probat, non esse semper eandem animam in homine? **Resp.:** — 1) Ad summum sequeretur, esse simul 2 animas in homine; (quod tamen est falsum, quod clare elucet ex parte I.ª); Ideo. contra ipsam permanentiam nihil sequeretur: 2) Dicendum est, nego suppositum, ex tali conscientia interna aliquid sequi posse, quia agitur de statu psychico valde abnormali. Proinde nihil mirum, si talis experientia est falsa et illusoria.

THESIS XLIV. Anima rationalis est integraliter et essentialiter simplex.

ST. Q.: A. Nexus: — Animam humanam esse veram SUBSTANTIAM, hoc clare probatum est in Thesi praecedenti. Nunc investigare debemus eius naturam. De anima sensitiva in brutis jam scimus naturam, scilicet, eam etiam esse simplicem, non autem naturam spiritualem. (Quod ultimum affirmabitur de anima humana in sequenti Thesi.)

B. Conceptus: — Quid est SIMPPLICITAS integral. et ess?

1) S. INTEGRALIS: — Adest, si excluditur partialitas integralis; — i. e. si non adsunt partes eiusdem rationis vel naturae, ac totum. — V. gr.: Corpus humanum habet partes integrantes, quae sunt de facto eiusdem naturae ac totum c. ipsum. Sed v. gr. corpus et anima non possunt vocari partes integrantes, quia sunt diversae naturae et inter se et relate ad ipsum totum.

2) S. ESSENTIALIS: — adest, si excluduntur partes ESSENTIALES, i. e. quae sint diversae naturae inter se et relate ad ipsum totum; — et simul constituant unum tertium substantiale. — Sic v. gr. anima et corpus sunt partes essentiales Hominis (sed non partes integrales, uti modo diximus).

C. Adversarii: — 1) Sunt, qui negant utramque simplicitatem, praesertim multi Materialistae et Empiristae. Videntur etiam Adversarii hac in re et Cartesius et Lotze, qui ultimus sedem animae ponit in corpore calloso cerebri. («Balken»). — 2) Alii fortiter defendunt simplicitatem INTEGRALEM, sed negant s. essentialem; sic nonnulli Scholastici Veteres, uti v. gr. S. Albertus Magnus, S. Bonaventura (qui putat, etiam animam humanam constare ex M + F, licet sit Materia valde «subtilis»).

D. NOS: — (cum Sancto Thoma et cum maiori parte ex Scholasticis) dicimus, animam nostram esse prorsus simplicem, et INTEGRALITER, et ESSENTIALITER. — (Obiectio: St. Thomas defendit compositionem realem ex essentia et existentia, etiam relate ad animam? — Resp. C. Sed non influit.

Pars I. Anima humana est integraliter simplex:

Arg. 1. Secundum Thesim X. jam anima brutorum est integraliter simplex. — ATQUI: — Tunc idem a fortiori valet de anima rationali humana. — ERGO: Est simplex.

Arg 2. (Ex unitate Conscientiae)

Secus non haberetur «cognitio juxtapositionis», sed tt. «juxtapositio cognitionum». — (cf. Thesis VI.) ERGO:

Arg. 3. Sequitur ex simplicitate actuum spiritualium, scilicet intellectionis et volitionis, quae sunt actus omnimode SIMPLICES. — ATQUI: — Tunc a fortiori ipsum substratum substantiale debet gaudere tali simplicitate. ERGO:

Pars II. Probatur etiam simplicitas essentialis:

Arg. 1. (negative)

Adversarii tt. admittunt compositionem essentialem

in anima humana, quia putant, secus non manere differentiam inter DEUM et animam relate ad simplicitatem. — ATQUI: Tale periculum nullo modo existit. — ERGO:...

Ad min: Nam, manet adhuc multiplex differentia inter DEUM et animam nostram, etiam quoad simplicitatem: V. gr., in anima existit compositio inter substantiam et accidentia; compositio inter potentiam et actum, etc., quod in DEO nullo modo invenitur. — Ergo: — Tale periculum non existit.

Arg. 2. TOTA anima est prorsus INTELLECTUALIS. ATQUI: — Si in anima esset compositio essentialis, i. e. si constaret ex MATERIA et FORMA, tunc de facto non tota anima esset intellectualis. — ERGO: — Anima est essent. simplex.

Ad min: Nam, pars materialis, quantumvis subtilis, ex sua natura repugnat intellectualitati. (cf. Thesis XLV.)

Arg. 3. Secundum Thesim 28. ex Cosmologia anima rationalis est forma substantialis corporis. — ATQUI: In tali forma substantiali repugnat compositio essentialis (scilicet inter M. et F.). — ERGO: — Nulla compositio ess...

Ad min: Nam, Forma substantialis, etiam secundum «HYLOMORPHISMUM MODERATUM» est semper aliqua substantia incompleta, secus non posset constituere unum tertium totale simul cum alio; atqui: — de facto tale quid efficit. Ergo: — In ipsa anima non est unio inter M. et F. secus jam esset quid completum.

Corollarium 1: — OBIECTIO: — Videtur tamen esse compositionem essesntialem in anima? — Nam, certo, intellectus et voluntas et facultas affectiva ESSENTIALITER pertinent ad animam? — Ergo, sunt partes essentiales? Resp: Sub hoc respecto, forte concedendum esset. Sed, quaestio est prorsus alia, scilicet, utrum sit compositio essentialis **«substantialis»** (et non tantum «accidentalis»,) quod sane negandum est secundum nostra argumenta.

Corollarium 2: Ergo, anima humana non potest «corrumpi per se», sicut substantia, quae essentialiter componitur, quae dissolutione in suas partes corrumpi dicitur. Porro, animam nostram nequidem «corrumpi per accidens», postea probabitur, scilicet in Thesi XLVIII.

Corollarium 3: Jam supra indicavimus, non esse periculum simplicitatis exaggeratae pro ipsa anima. Nam, manet evidenter multiplex compositio essentialis (licet non eo sensu essentialis, uti in ipsa Thesi sumitur); Ita v. gr. Compositio ex genere et differentia specifica; compositio ex substantia et accidentibus; — compositio ex natura et supposito; — (utique hanc ultimam compositionem anima non habet ex se, quia non est substantia completa, ideoque non est per se suppositum) — Deinde est compositio inter essentiam et existentiam, saltem rationis.

TSESIS XLV. Anima rationalis est spiritualis, i. e. intrinsece independens a materia.

ST. Q.: Nota: — In Thesi praecedenti probatum est, animam rat. esse simplicem; — sed cum hoc adhuc non eo ipso probatum est, eam etiam esse spiritualem. V. gr. anima sensitiva (sec. Thesim X.) est vere simplex, nihilominus est ens materiale. — Ideoque, semper distinguendum erit inter «materiam» et «materiale». — Omnis materia est quid materiale, sed non vice-versa scilicet, non omne materiale est materia.

Conceptus:

1) — MATERIA: — Est substantia natura sua molem habens, i. e. exigens quantitatem, immediate sibi inhaerentem. (NB: — Si respicitur illa inhaerentia «exigitiva», tunc definitio est vere metaphysica; si autem respicitur inhaerentia actualis, tunc evidenter est tt. def. physica. (cf. Thesis 19. ex Cosmologia.).

2) — MATERIALE: — Est aut identicum cum materia, aut saltem intrinsece dependens a materia. (v. gr. Principium vitale in plantis et in brutis.) — NB: — Vocatur etiam «corporeum».

3) — SPIRITUS: — Est substantia, (mole carens) INTRINSECE independens a materia; (quoad esse et quoad activi. propr.)

4) — SPIRITUALE: — (vel IMMATERIALE) — Est aut identicum cum SPIRITU, aut ei intrinsece inhaerens; — ideo etiam intrinsece independens a materia, aeque bene, sicut ipse spiritus.

Adversarii: — (Praesertim materialistae rigidi) Dicunt, animam non esse spiritualem, utpote dependentem a corpore; — minimae perturbationes, aiunt, sufficiunt, et anima non jam fungi potest suo munere cognoscitivo, etc.

NOS: — Certo, anima nostra dependet a materia, sed tt. EXTRINSECE; — Ideo recte affirmat Palmieri: — 1) Intellectus indiget phantasmate, **non ratione cognitionis,** sed **tt.** ratione **unionis** inter corpus et animam. — 2) Phantasma non est conprincipium actus, sed tt. conditio (sensibilis repraesentatio). — IDEO: — Anima **sola** (et corpus sub nullo respectu) est PRINCIPIUM ADAEQUATUM ET INTELLECTIONIS, ET VOLITIONIS. — Tenor: — Fundamentum huius elevationis est INTERNA INDEPENDENTIA animae a materia.

Arg. 1. (Ex INTELLECTU)

Intellectus cognoscit IMMATERIALIA, UNIVERSALIA et ABSTRACTA. — ATQUI: — Tunc ipse intellectus debet esse immaterialis et intrinsece idependens a materia et consequenter idem valet de ipsa anima. — ERGO: — anima est spir.

Ad min: 1) — Tunc ipse **intellectus** debet etiam esse immat., **a)** — quia obiectum perceptum est pars essentialis ipsius actus; — **b)** secus materia esset conprincipium ipsius actus intellectivi, et necessario manifestaret suas proprietates materiales; v. gr. relationes ad extensionem, etc. Atqui: nihil tale quid in actibus pure intellectivis et abstractis; — ergo, dicendum, ipsum intell. esse immaterialem. — Consequenter: 2) — Etiam ipsa **anima** debet esse immaterialis, secus accidens essentialiter superaret suum substratum.

Arg. 2. (Ex VOLITIONE)

Voluntas appetere potest pure IMMATERIALIA, etc. ATQUI: — Tunc ipsa voluntas (et consequenter anima) debet esse pure spiritualis. — ERGO:. . .

Ad min: Nam, 1) — Circa Intellectionem jam probatum est in Argumento 1.º; — atqui: — omnis volitio intrinsece involvit intellectionem; — ergo: idem valet de volitione.

2) — Si volitio esset intrinsece dependens a materia, tunc materia esset eo ipso conprincipium omnis volitionis; porro: Tunc voluntas numquam bonum **pure** immateriale appetere posset, sed solum bonum **toti** composito conveniens; a fortiori hoc valeret, si agitur de repugnantia inter duplicem appetitum; scilicet, si voluntas non esset intrinsece INDEPENDENS a materia, tunc non posset rejicere bonum delectabile, praesertim si vehementer attraheretur.

Arg. 3. (Ex IMMORTALITATE)

In Thesi XLVIII. probabitur IMMORTALITAS animae, et quidem independenter ab hac Thesi XLV. — ATQUI: — Tunc debet esse spiritualis, i. e. INTRINSECE independens a materia, secus separatim existere non posset. ERGO:...

Corollarium: Ideo 1) — Est differntia essentialis inter hominem et animalia bruta, ratione animae rationalis vel spiritualis. Animalia bruta intellectu carere, (proinde eorum animam non esse spiritualem, sed tt. materialem), expresse probavimus in Thesi V. — 2) — Ideo absolute repugnat hominem naturali evolutione descendere ab animali bruto, et quidem non quoad corpus, (uti clare elucet ex argumentis biologicis, palaeontologicis, philosophicis), et a fortiori non quoad animam spiritualem. (cf. Cosmologia Thesis 32.) — 3) — Ergo, homo est de facto ens «sui generis», utpote mira et mirabilis quaedam unio inter materiam et spiritum; — ideoque sensu quodam speciali vocatur «MICROCOSMOS», quo tota scala creaturarum repraesentatur. — 4) — Sed, tamen non videtur, quomodo sit differentia essentialis inter animam beluinam et humanam? Utraque est enim simplex? Resp.: — Omnino; — nihilominus manet differentia essentialis, quia anima beluina intrinsece et omnimode dependet a materia crassa, tum quoad esse, tum quoad operari. E contra; anima rationalis est intrinsece **in**dependens a materia, tum quoad esse, tum quoad operari, (saltem quoad functiones sibi proprias, scilicet quoad intellectionem, volitionem et affectionem superiorem). Utique, manet hac in vita dependentia extrinseca. 5) — Cur talis dependentia «extrinseca», si est spiritualis? Respondeo: — non ratione «cognitionis»

(respective volitionis, etc.), sed tt. ratione unionis substantialis inter corpus et animam. 6) — Ex dictis tandem patet, «intellectualitatem» et «spiritualitatem» et «immaterialitatem» et intrinsecam independentiam (a materia) esse Synonyma.

Obiectio: — Sed undenam provenit tam frequens similitudo inter pueros et parentes relate ad naturalem habitudinem intellectus et voluntatis ?— Hoc certo non accideret, si anima esset spiritualis? Resp.: Hoc provenit propter certas dispositiones organicas, haereditate traditas, a quibus superior activitas ut a conditione pendet. Sed esset falsum, si aliquis putaret, filios accipere animam ab ipsis parentibus ope generationis. — NB: — In Thesi XLVII. expresse probabitur, animam directe et immediate creari a DEO. — Porro, de haereditate physica postea perpauca dicentur. (cf. De transmissione haereditaria. Coroll. Th. XLVII)

THESIS XLVI. Unica est in homine anima, tamquam principium omnis vitae, scilicet et rationalis et sensitivae et vegetativae.

ST. Q.: A. Nexus: — In Thesi XLIV. probavimus, animam rationalem esse integraliter et essentialiter simplicem; — immo, ex Thesi XLV. constat, eam esse vere spiritualem et immaterialem. — Nunc oritur quaestio, scilicet: Si ita sese habet, quomodo tunc eadem anima potest esse principium totius vitae, scilicet et inferioris et superioris? Haec difficultas facillime solvi potest, dicendo, animam esse formaliter spiritualem et tt. virtualiter sensitivam et vegetativam, uti alibi jam diximus. Ideo, unicitas et spiritualitas animae facile conciliari possunt. Nihilominus, non omnes admittunt Thesim:

B. Adversarii: — Sententiae sunt valde diversae.

1) — **Plato:** — Secundum eum datur 3 plex anima in homine, scilicet: «RATIO» (in capite); «IRA» (in pectore) et «CUPIDITAS» (in praecordia). — Similiter docet: Galenus, Philon, et alii, et quidem propter illam pugnam

interiorem inter hominem superiorem et inferiorem. — NB: — Nos postea ex eadem ratione probabimus contrarium, scilicet unam tt. animam existere in homine.

2) — **Manichaei:** — Illi, uti scimus ex Historia, 2 Principia suprema admittunt, et consequenter etiam 2 animas in homine, scilicet, animam BONAM (spiritualem), creatam a DEO; — et animam MALAM (sensitivam et simul vegetativam), creatam a diabolo.

3) — **Arrabes:** — (Avicebron, Avicenna, Averroes, etc.): Secundum hos existit UNA SOLA anima INTELLECTIVA pro omnibus hominibus; (= anima universalis.) — Sed quilibet homo habet suam propriam animam sensitivam et vegetativam, inter se realiter distinctas. (cf. sententia ipsius Plotini).

4) — **Moderni:** — (Bacco de Verulamo, Schola de Montpelier, multi Vitalistae recentiores, etc.): Secundum illos datur 2 plex anima in homine, scilicet, anima superior, quae est simul formaliter intellectiva et sensitiva, et anima inferior, quae est tt. vegetativa.

C. NOS: — (cum Scholasticis omnibus, tum veteribus, tum modernis) affirmamus, UNAM SOLAM animam existere in homine, cum 3 functionibus, scilicet, cum functione intellectiva, sensitiva et vegetativa. — Porro, primam functionm anima habet «formaliter» et «per essentiam»; — secundam et tertiam tt. ut «functiones», i. e. «virtualiter» vel per «virtutem». — Thesis habet duas partes, scilicet:

Pars I. Eadem anima est principium sensitivum et intellectivum:

Arg. 1. (Ex UNITATE CONSCIENTIAE)

Immediate experior, «me eundem» sentire et intelligere, ita, ut sit strictissime idem ens, i. e. «idem EGO». ATQUI: — Hoc intelligi non posset, si esset duplex principium substantiale, (etiamsi essent. unita). — ERGO:...

Ad maj.: NB: — Aliter sese habet, si dicerem v. gr. — «moveor» et «intelligo»; — vel «moveor» et «sentio»,

etc. — Nam, extensio corporis et consequenter motio corporis est tt. mediate obiectum experientiae meae. E contra, actus et intellectivi et sensitivi sunt immediate obiecta experientiae meae internae.

Ad min.: Quomodo adhuc explicari posset unitas conscientiae (circa illas functiones tam diversas), si ipsa principia essent numerice diversa?

Arg. 2. (Ex PUGNA interna)

Existit pugna interna inter appetitum sensitivum et intellectualem, et quidem in eodem subiecto. — ATQUI: Ex hoc clare sequitur, unam tt. esse animam. ERGO:...

Ad maj.: Sentio me trahi in partes plane oppositas per diversa motiva, et quidem sub hoc respectu plane eodem modo, ac si pugna esset inter diversas inclinationes eiusdem partis superioris. (v. gr. pugna inter spiritum humilitatis et superbiae in eadem anima.).

Ad min.: Nam, si illa pugna versaretur inter diversas numerice animas, tunc unaquaeque anima perciperet tt. unam inclinationem et non duas, et logice non traheretur idem «EGO» in partes plane oppositas.

Arg. 3. (Solida confirmatio tt.)

Cessante una ex duabus functionibus, statim et eo ipso cessat etiam altera. — ATQUI: — Hoc saltem maxime insinuat, esse unum tt. principium, sensit. et intell. — ERGO:...

Pars II. Eadem anima est princip. veget. et sensitivum:

Argumentum: — (Probatur ex mutua dependentia):

Inter vitam vegetativam et sensitivam existit multiplex dependentia mutua. — ATQUI: — Tunc existit tt. UNUM principium identicum. — ERGO: — Eadem anima veget. et sensit.

Ad maj.: V. gr. Crescente vita vegetativa (quoad perfectionem), crescit eo ipso perfectio sensitiva; etc. —**b)** Functio vegetativa conservat organa sensitiva; — haec functio sensitiva sua ex parte protegit vegetationem. —**c)** Activitas nimis intensa unius functionis eo ipso nocet alteri. **d)** Si essent 2 principia, tunc separatio deberet esse

possibilis, aeque bene, sicut corpus et anima separari possunt, utpote 2 principia plane diversa.

Corollarium: Ergo: — 1) Si una ex parte anima sensitiva et intellectiva sunt numerice unum idemque principium, et si altera ex parte anima vegetativa et sensitiva iterum sunt idem numerice principium, tunc evidenter sequitur, esse in homine unam tantum animam, utpote principium omnis vitae, scilicet et intellectivae et sensitivae et vegetativae. 2) NB: Ex tali unitate numerica facile intelligi potest mutua et intima relatio inter functiones superiores et inferiores. Tunc etiam plane intelligi potest illa «redundantia» affectuum, de qua locuti sumus in Thesi XXXV. — 3) Deinde, ille influxus, quam bona sensibilia et terrena in appetitum superiorem exercere solent, per hanc Thesim XLVI. novam explicationem accipit. 4) OBIECTIO: Scimus, (ex praecedentibus) functiones sensitivas et vegetativas intrinsece et absolute dependere a corpore (proinde esse «organicas»), operationes intellectivas autem tt. extrinsece dependere a materia. ATQUI: Quomodo hoc intelligi posset, nisi esset duplex anima, scilicet, inferior et superior? Resp.: Nulla adest difficultas. Nam eadem numerice anima facile potest esse principium omnium illarum trium functionum, etiamsi quoad operationes inferiores dependeat absolute a materia. INSTO: — Si ita esset, tunc non posset explicari illa pugna inter affectum superiorem et inferiorem? Resp.: Cur non? Ex hoc sequeretur, existere duplicem animam intellectivam quod sane nemo affirmare vult. Nam, in ipsa anima intellectuali qua tali datur talis pugna inter affectiones et appetitiones bonas et malas. — INSTO: — Sed in Thesi XXXV. attulimus illam pugnam interiorem tamquam argumentum peremtorium, ad probandam existentiam duplicis appetitionis (et consequenter duplicis affectionis), scilicet sensitivae et rationalis? Ergo, a pari in nostro casu, ex tali pugna non potest probari unicitas animae (uti de facto fecimus) sed potius contrarium, scilicet, existere saltem duas animas, inter se prorsus diversas? Resp.: Concedo Antecedens et nego prorsus Consequens. Nam hac in re nulla est paritas inter facultates et inter earum substratum substantiale. — Deinde ex illa pugna praecise sequitur, debere esse unam eandemque animam; — secus

illa pugna non perciperetur tamquam «affectio» unius eiusdemque «EGO». Ideo: 5) — CONCLUSIO: — Dicendum erit, animam humanam esse formaliter intellectualem vel spiritualem et virtualiter sensitivam et vegetativam, in quantum vim vel virtutem habet, tales operationes producendi, (utique semper dependenter a corpore et tt. in statu unionis). — 6) Ex dictis patet, falsam esse sententiam, secundum quam DEUS primo infunderet animam vegetativam, deinde sensitivam, et finaliter animam rationalem. Et si hoc verum esset, tunc deberemus dicere, illam «animam vegetativam» et «sensitivam» non jam manere momento infusionis animae rationalis. NB: — Defensor triplicis animae erat etiam Duns Scotus, qui similiter admisit triplicem materiam, scilicet: Materiam «primo-primam», materiam «secundo-primam» et m. «tertio-primam». Similiter Scotistae et alii.

THESIS XLVII. Anima humana non oritur emanatione, neque generatione; sed immediate a deo creatur.

ST. Q.: A. Nexus: — Jam cognoscimus existentiam, facultates et naturam animae nostrae. Ulterius investigandus est ortus. Etiam hac in re non omnes nobiscum sentiunt. Praeter «Creationismum», quem nos defendimus, sunt 2 sent:

B. Adversarii: — (Emanatistae et Generatistae):

1) — «EMANATISMUS»: — (= «Traducianismus spiritualis») — cf. v. gr. Montanistae, Pantheistae, etc. — Iterum puplex classis:

a) — Nonnulli Sancti Patres, etc. — dicunt, animam humanam ipsius prolis «emanare» ex anima parentum, fere eodem modo, sicut flamma ex alia flamma.

b) — Alii putabant, animam emanare e Substantia DIVINA. (ita multi pantheistae. (cf. Emanatismus Plotini).

2) — «GENERATIONISMUS»: — (= «Traducianismus corporeus») — cf. multi Materialistae, sed iterum non-

nulli SS. Patres, uti v. gr. Tertullianus, etc. — Dicunt, animam produci ex semine aliquo corporeo, et quidem per modum generationis.

C. NOS: — Negamus utramque sententiam et defendimus «CREATIONISMUM», secundum quam theoriam quaelibet anima humana immediate et directe a DEO creatur, i. e. producitur ex nihilo sui et subiecti. — (cf. Definitio in Theodicea).

Pars I. Rejicitur «emanatismus»:

Argumentum: Anima humana est integraliter et essentialiter simplex. (cf. Thesis XLIV.) — ATQUI: — Tunc una ex alia fluere nequit; — a fortiore non posset fluere vel emanare e substantia DIVINA. — ERGO: — Emanatismus.

Ad min: Nam conceptus emanationis involvit divisibilitatem et consequenter aliquam entitatem extensam. Ergo:. . .

Pars II. Rejicitur etiam «Generationismus»:

Argumentum: Nam haec sententia aperte peccat contra principium causalitatis; — nam anima est prorsus et intrinsece spiritualis. — ATQUI: — Tunc non potest educi neque produci a substantia corporea. — ERGO: — Ruit theoria.

Pars III. Anima immediate a deo creatur: (Creationismus)

Argumentum: Anima humana certo debet creari, i. e. immediate debet produci ex nihilo sui et subiecti. — ATQUI: — De facto solus DEUS potest creare. — ERGO: — Anima humana immediate a DEO creari debet.

Ad maj.: Nam secundum ea, quae diximus supra, anima non potest fluere neque e substantia Divina neque ex alia anima, a fortiore non potest produci ex materia praejacenti. Ergo, tunc nihil remanet nisi creatio, i. e. productio ex nihilo sui et subiecti, (cf. Conceptus creationis)

Ad min.: (cf. Theodicea, Thesis 32.) Solus DEUS creare potest, nam: 1) — Certo, nulla creatura potest esse causa PRINCIPALIS in creatione; — cur non? quia in tali casu deberet esse causa «adaequata» illius entis, quod crearet, quod absolute et metaphysice repugnat. Nam, quomodo aliqua creatura posset esse «ratio ultima et ontologica» alterius entis, si nequidem habet ex se sufficientiam adaequatam pro sua propria existentia? — (ideo, solutio hac in re inveniri potest in ipso conceptu entis «ab alio».

2) — Nulla creatura potest esse causa INSTRUMENTALIS creationis. — Cur non? Resp.: — Nam, omne instrumentum necessario supponit materiam «circa quam». Atqui: in casu supposito non datur materia circa quam. Ergo:. . .

Corollarium 1.: Incredibile videtur, illos SS. Patres docuisse tales sententias (scilicet «emanatismum et generatismum»)? Resp.: — Facile intelligimus hoc, si respicimus circumstantiam illorum temporum. Nam, **a**) Illo tempore adhuc non habebant ideam tam claram de conceptu creationis. — (cf. v. gr. St. Augustinus). **b**) Uti in Thesi XLIV. ostendimus, ipsis persuasum erat, sese tantumodo tali modo salvare posse differentiam inter simplicitatem DEI et creaturae spiritualis. — **c**) Quod speciatim attinet «Generationismum» Tertulliani, (aliorumque Auctorum illius temporis), dicendum est, SS. Patres non habuisse tam claram ideam de peccato originali. — Putabant, sese non posse explicare propagationem peccati originalis, nisi admissa theoria «Generationismi». — Deinde dicendum est, illos suas opiniones saepe proposuisse tamquam mere «probabiles».

Corollarium 2: — De TRANSMISSIONE HAEREDITARIA: — Uti jam vidimus, constat, etiam qualitates vitae rationalis, sive cognoscitivae, sive affectivae, sive appetitivae, transmitti posse ad posteros per modum generationis. Immo, videtur, hoc fieri simili gradu, uti relate ad qualitates corporeas. — Quomodo tale factum explicari debet? Duplex datur possibilitas, scilicet: Aut sola indoles corporea transmittitur et tunc indoles animae in eo reducitur, quod certae dispositiones spirituales facilius for-

mantur, quando conditiones corporeae sunt meliores. Aut dicendum erit, animam rationalem non semper easdem proprietates accidentales in creatione accipere, sed illas, quas parentes de facto habent. — NB: — Prima explicatio videtur praeferenda. Nam, 1) est obvia et magis naturalis; 2) De facto nullam difficultatem causat. — Deinde dicendum est, quoad ipsas dispositiones sensitivas, multas non proprie transmitti per ipsam generationem, sed sese potius postea evolvere sub speciali influxu matris, in quantum perdurat evolutio «embryonalis». — Ex Biologia moderna enim scimus, maximum esse influxum, quem ipsa mater exerceat in prolem toto illo tempore perdurante, et quidem, non tantumodo quoad dispositiones et qualitates corporales, sed etiam spirituales. Et hoc nullam difficultatem causat pro explicatione. Provenit una ex parte ex intima unione animam inter et corpus, altera ex parte ex intima unione, influxu mutuo inter matrem et prolem. Cetera huius quaestionis jam pertinent ad disciplinas positivas (Biologiam, Anatomiam, Anthropologiam etc.).

THESIS XLVIII. Probatur immortalitas animae humanae.

ST. Q.: A. Conceptus: — Thesis XLVIII, et Thesis XLIX. sunt maximi momenti, non tt. pro tractatu nostro speculativo, sed praesertim pro tota vita humana, individuali et sociali, morali et religiosa. Negatis his duabus thesibus, actum esset de tota finalitate hominis. Hoc clarissime intelligere solent adversarii Religionis Christianae; Ideo maxime illorum interest, negandi tales veritates fundamentales Revelationis, quas quidem jam naturali lumine clare perspicere valemus, uti statim videbimus.

Nunc, ad ipsum conceptum: — Triplex datur immortalitas, i. e.:

1) — IMMORTALITAS «**Metaphysica**»: — Est absoluta et metaphysica impossibilitas ullo modo amittendi suum esse. — Haec SOLI DEO convenit; — Nam, metaphysice repugnat pro ASEITATE amittere suum esse. (cf. Theodicea, ubi agitur de «ASEITATE».

2) — IMMORTALITAS «**naturalis**»: — (de hac in

Thesi) — Est exigentia naturalis, perpetuo vivendi. — V. gr. Anima; Angelus. —

3) — IMMORTALITAS **«gratiosa»:** — (vel «gratuita», i. e. per gratiam specialem) — Tali immortalitate gavisi sunt Protoparentes ante lapsum; item, nos post resurrectionem etiam habebimus tale donum quoad ipsum corpus glorificatum.

B. Adversarii: — Duplex datur classis adversariorum:

1) — Negant, animam durare post mortem; — (Veteres: — Materialistae; v. gr. Democritus, — Stoici; v. gr. Nestorius, etc... — Recentiores: — a) Materialistae, uti v. gr. Hobbes, Hume, etc. b) Pantheistae, uti v. gr. Spinoza, etc.)

2) — Concedunt, animam de facto post mortem perdurare, sed negant, hoc modo NATURALI probari posse. Dicunt, nos talem veritatem tt. cognoscere posse ope Revelationis Divinae. (ita affirmant v. gr. Duns Scotus, Henricus Candavensis, Occam, Card. Caietanus, et multi alii.)

C. NOS: — Dicimus, animam humanam esse «immortalen» et affirmamus: — 1) esse immortalem immortalitate **«naturali»;** (ideo excluditur et «metaphysica» et «gratuita»). 2) Dicimus, esse factum certissimum; — et 3) hoc factum jam naturaliter (i. e. lumine naturali) cognosci posse a nobis. 4) Probabitur hac in Thesi, vitam esse «aeternam», i. e. animam post mortem perdurare, et quidem semper et pro semper. Utrum illa perduratio sit felix an non, hoc pertinet ad aliam Thesim, scilicet XLIX. — Sequuntur 4 Argumenta:

I. Argumentum «metaphysicum»: — (NB: ex hoc nullo modo sequitur, ipsam immortalitatem esse metaphysicam, uti jam supra indicavimus) — Si anima destrueretur, tunc aut EX SE, aut ab ALIA creatura, aut ab ipso DEO; ATQUI: — Neque primum, neque secundum, neque tertium concedi potest. — ERGO: — Sequitur immortalitas naturalis.

Ad min: I. e. anima de facto nullo modo cessare potest, quod clare elucet ex eius NATURA, qua TALI, i. e. qua SPIRITUALI. — Ideo recte vocatur immortalitas «NATURALIS».

1) — Anima non potest destrui ex **se ipsa:** — a) non «PER SE» quia est integraliter et essentialiter simplex. (Th. XLIV) b) non «PER ACCIDENS», quia est substantia «in se subsistens», i. e. intrinsece independens a materia. (Th. XLV.)

2) — Non potest destrui ab **alia** creatura: — Nam ex prima parte sequitur, eam ad summum annihilari posse (quia est substantia spiritualis); atqui: Solus DEUS potest anihilare aliquid; (quia «annihilatio» non est aliqua actio positiva, sed tt. cessatio conservationis in esse ex parte ipsius DEI, quod evidenter nullo modo pertinet ad creaturam).

3) — Non destruitur a **Deo:** — Utique, per se hoc esset possibile. Nam DEUS facillime posset denegare suum concursum animam conservantem, et ipsa anima eo ipso cessaret in sua existentia, et ne quidem **vestigium** remaneret. Sed negandum est, DEUM de facto annihilare animam. Nam, ipsi animae imposuit capacitatem, imo et inclinationem naturalem et quidem elementarem et irresistibilem ad perpetuam vitam agendam. — Atqui: — Hoc desiderium debet impleri. Nam, a) secus homo esset peioris conditionis, quam animalia bruta, quia eius nobilissima et vehementissima inclinatio prorsus frustraretur. b) Ipse DEUS sibi contradiceret, quia non respectaret illud, quod semel imposuit in ipsam naturam (spiritualem) animae. — ERGO:...

II. Argumentum «Teleologicum»: (Etiam aliquando vocatur arg. «Psychologicum») — Homo sentit in se desiderium «FELICITATIS PERPETUAE». — ATQUI: — Tale desiderium non potest frustrari. — ERGO:...

Ad maj.: — 1) Est factum plane notum. — 2) Est desiderium tam elementare, ita ut nullus homo nequidem pro uno momento ab eo abstrahere posset positive. (cf. Th. XXXVII.)

Ad min.: Talis inclinatio non potest per se frustrari. Nam: — 1) Frustraretur omnis finalitas interna ipsius animae; — 2) Ideoque esset peioris conditionis omnibus ceteris creaturis huius mundi (quarum finalitas interna modo suo obtinetur, uti probavimus in Cosmologia)

3) DEUS sibi contradiceret, dando tale desiderium, quod tamen implere nollet. (cf. Principium «Axiologicum»)

OBIECTIO: — Hoc argumentum secundum est plane idem, ac arg. primum? Resp: — Totaliter? nego. — Ex parte? C. — Deinde dici debet, in illo primo argumento per se et principaliter argumentari ex illa «CAPACITATE» animae ad semper vivendum (quae capacitas suam finalitatem habere debet). Utique, idem adhuc magis valet relate ad ipsum «DESIDERIUM», quod jure merito jam in primo argumento afferri potest, sed adhuc speciatim (et omissis omnibus ceteris rationibus) in secundo argumento elaboratur.

III. Argumentum «morale»: — Necessario existit ordo moralis et correspondens SANCTIO moralis, et quidem sanctio PERFECTA. — ATQUI: — Sanctio (et consequenter ipsa LEX moralis) esset prorsus inefficax, si non existeret altera vita, et quidem perpetua. — ERGO: — Ipsa anima debet necessario esse immortalis.

Ad maj.: — 1) Existere ordinem et sanctionem moralem, clare ostenditur in Thesi XXXIX. — 2) Talem ordinem et sanctionem non tantumodo existere, sed existere cum adsoluta **necessitate,** hoc clare ostenditur in Ethica. — 3) Porro: — Ipa lex moralis esset inefficax, si sanctio non esset perfecta. — Ergo; — ipsa sanctio debet esse perfecta.

Ad min.: — Haec sanctio moralis numquam posset esse perfecta, si nulla existeret sanctio in altera vita. Nam: — 1) Ipsa sanctio **externa** hac in vita est valde imperfecta; — scilicet, homines honesti et boni saepe non accipiunt praemium justum pro operibus moraliter bonis. — E contra, vitia et peccata saepe laudantur et justificantur coram hominibus; — porro, ipsi actus heroici, uti v. gr. mors et sacrificium omnium bonorum temporalium pro Patria vel pro salute aliena, carerent prosus quolibet praemio, si non existeret altera vita. — Porro, homines pessimi nullum sentirent stimulum ad suas concupiscentias moderandas et coercendas. Vita terrena in omni voluptate et vana gloria peracta, tandem aliquando adhuc mori possent cum plena tranquilitate et satisfactione, si non immineret altera vita cum sua sanctione debita. — Ideo 2) Ipsa sanctio **interna** huius vitae (scilicet pax opere bono peracto et remorsus conscientiae post peccatum commissum) esset omnino inefficax et nulla. — Nam, cur ille remorsus, si anima post mortem periret? — Quid tandem

juvaret illa pax interna, si non existeret firma spes praemii accipiendi in altera vita? — Ergo, clare sequitur, (quod supra diximus in MINORE), scilicet: «Ipsa sanctio et consequenter ipsa lex moralis essent omnino inefficaces, nisi existeret altera vita, et quidem aeterna. — ERGO: — Anima est immortalis.

IV. Argumentum ethnologicum: — Est consensus universalis hominum, existere alteram vitam. — ATQUI: — Talis consensus est signum veritatis. — ERGO:

Ad maj.: — Est consensus universalis et constans hominum circa immortalitatem animae humanae: — 1) Hoc constat ex antiquissimis documentis et inscriptionibus sepulcrorum et ex sacrificiis pro defunctis oblatis, etc. — OBIECTIO: — A certis auctoribus modernis contrarium constare probatur? — Dicunt, existere vel exstitisse populos sine tali persuasione? — Respondeo: — Illi auctores non sunt magni momenti. — Deinde, tales narrationes semper ut merae falsificationes et ut «fabulae» detectae sunt. (cf. Schmidt.) — 2) — Constat ex scriptoribus modernis et valde criticis: a) V. gr. Livingstone ita affirmat: «Necesse non est, etiam infimo negritae loqui de existentia DEI aut de vita futura, quia hoc universim agnoscitur.» — b) Andrew Lang statuit, praecise gentes maxime primitivas possidere monotheismum moralem, (et consequenter et evidenter etiam fidem circa immortalitatem animae humanae). — c) Idem post Lang comprobavit P. Wilhelm Schmidt et d) nuperrime Oestereich, qui confirmat assertum.

Ad min.: Ille assensus et consensus populorum debet esse verus, nam: — 1) — **Positive:** — Est verum judicium sensus communis de re, de qua omnes homines omni tempore aeque bene judicare potuerunt. Est persuasio universalis et constans de re maximi momenti, quaeque persuasio nullo modo repugnat rationi, sed magnopere ei concordat. (cf. alia argumenta). — 2) — **Negative:** — Nulla datur ratio illusionis universalis hac in re, nam: — a) Non agitur de aliqua re, in qua forte intrare posset aliqua illusio SENSITIVA, (uti v. gr. valet de illusione visuali relate ad cursum solis). b) Explicatio ex sola educatione et fraude iterum non est causa sufficiens tam universalis persuasionis. — ERGO: — PERSUASIO gentium de

immortalitate animae est saltem «confirmatio »et quidem fortissima pro immortalitate animae.

Corollarium 1: Posset forte aliquis objicere, argumentum teleologicum nihil novi probare et jam contineri in argumento primo, scilicet «metaphysico»? — Resp.: Hoc falsum est. Nam: 1) — In illo primo argumento ostenditur, animam non posse perire ex se, neque posse destrui a creaturis aliis; et de hoc prorsus nihil dicitur in secundo argumento. — 2) — In primo argumento argumentatur ex naturali «capacitate» semper vivendi, et hoc per se sufficeret ad primum argumentum absolvendum. 3) Utique, in 1.° argumento argumentatur ex illo «desiderio» naturali semper vivendi, quia de facto etiam pertinet, saltem ad perfectionem ipsius argumenti. Nihilominus nihil impedit, quominus ex eodem «desiderio» formetur aliquod argumentum secundum et speciale. — Ideo, recte dici potest, ultimum punctum primi argumenti jam continere secundum argumentum. NB: — Eo melius, si inter se cohaerent, quia sic crescit vis. NOTA: — P. Fröbes tt. probare vult hac in Thesi, existere necessario alteram vitam; utrum debeat esse aeterna, an non, de hoc in hac thesi abstrahit. Nos jam hac in thesi intendimus probationem ipsius perpetuitatis vitae. — Cur? resp.: 1) quia argumenta hoc de facto stricte probant; Nam, existit desiderium felicitatis PERFECTAE, ideoque non sufficit, ut sit altera vita, sed requiritur, ut reapse maneat in aeternum. 2) — Secus nequidem Thesis XLIX. probari posset, quia adhibentur eadem argumenta, sicut in Thesi XLVIII. — Tantumodo magis elaborantur.

Corollarium 2: — Quoad argumentum «METAPHYSICUM»:

1) — Secundum Scholasticos mutatio in morte solum spectat «informationem» seu modum essendi; — anima amittit causalitatem formalem circa corpus. — Attamen, retinet dispositionem ad corpus, ideo est substantia incompleta, etiam in statu separationis. In hoc statu manet intellectus et voluntas immo et affectio spiritualis, cum suis correspondentibus habitibus. Manet etiam vis spiritualis relate ad diversas ubicationes occupandas. — Anima separata facilius intelligit, quam antea, sine dependentia a

phantasmate, simili modo uti Angeli. Etiam volitio facilius in activitate perseverare valet, propter libertatem totalem a materia. Consequenter et ipsi affectus, utpote pure spirituales, sunt excellentiores et puriores affectionibus huius vitae terrenae. — 2) — Ex eo, quod unio corpus inter et animam est status naturalis animae, non eo ipso sequitur, statum separationis esse contra naturam. Secus illlud desiderium naturale vitae perpetuae intelligi non posset. — Sed, quomodo manet ille status naturalis, manente illa exigentia animae relate ad corpus? Resp.: Haec difficultas facillime solvi potest. Nam, non repugnat, ut aliqua substantia habeat certam successionem statuum diversorum naturalium. Sic in infantia homini naturaliter convenit, ut nondum habeat usum rationis. Nihilominus, posterior evolutio intellectualis evidenter non est contra naturam. — OBIECTIO: — Sed, si anima manet cum certa dispositione ad corpus informandum, quomodo tunc ille status vocari potest perfectior statu unionis? Resp.: Manet status perfectior non obstante illa inclinatione. Nam tendit ad unionem non eo modo, uti fit in hac prima vita terrena. (In hoc ordine supernaturali de facto tendit ad unionem plane singularem et simpliciter mirabilem; non propter exigentias naturales, sed ratione Privilegii singularis; — de hac elevatione supernaturali evidenter abstrahimus in Thesi.) — NB: — Secundum Avicennam unio pro anima est status naturalis imperfectus, separatio status perfectus. Similiter affirmat Duns Scotus. — St. Thomas autem vocat seperationem statum «praeternaturalem». — Suarez: «Status separationis pariter naturalis est, quia anima naturaliter incorruptibilis est, et status ipse accomodatus pro supremis tendentiis naturalibus, etsi quoad informationem status sit praeternaturalis». — NB: — Haec explicatio videtur optima et ceteris praeferenda.

Corollarium 3: — Quoad argumentum «TELEOLOGICUM»:

1) — Frustrato tali desiderio naturali, homo esset miserior et peioris conditionis omnibus ceteris entibus naturalibus; — quod etiam multi moderni philosophi inculcare solent. (cf. v. gr. Schneider et alii.) — Nam in homine haberetur continua contradictio inter id, quod acquirere vult, et id, quod revera acquirit. Brutum perfec-

tum est, si eius organismus plene evolutus est; — deinde in illis magis perfectio speciei quam individui a natura intendi solet. — E contra: — Homo est ens personale, est sui conscius et in proprium et personalem finem maxime et naturaliter tendit. — 2) — Sed aliquis ita objicere potest: Etiam tot germina in plantis habent naturalem tendentiam et exigentiam, ut sese perficiant, et tamen haec tendentia frustratur? Ideo, ex tali tendentia naturali in homine mihil sequi videtur, quia aeque bene frustrari potest, sicut illa tendentia in plantis? Resp.: — 1) Nego suppositum, scilicet omnia illa germina perire. De facto sufficiens numerus eorum suam finalitatem consequi potest, et hoc sufficit. 2) Nego paritatem, quia homo est ens personale (et planta non), ideoque non contentus erit cum perfectione speciei, sed vult suam propriam et personalem finalitatem et quidem maxime. — Ideo 3) Nego paritatem inter ipsas inclinationes. Illa inclinatio in homine est aliqua tendentia plane sui generis.

Corollarium 4: — Quoad argumentum «MORALE»:

Aliqui adversarii moderni putant, illam sanctionem internam sufficere, etiamsi deficeret altera vita. Hoc est sane falsum. Concedimus, homines specialiter privilegiatos (a natura et dotibus naturalibus) in conditionibus facilioribus legem observare, sed certo non jam, quando imminerent tentationes vehementes. In tali casu deficeret sanctio naturalis huius vitae, si non existeret sanctio perfecta in altera vita. OBIECTIO: — Sed Pax interna est sufficiens praemium pro opere bono? Resp.: — Nullo modo. Praecise ipsa spes et persuasio alicuius vitae melioris valde augere immo et constituere solet talem pacem et tranqilitatem internam. Pariter dicendum erit, illos remorsus internos peccatoris non esse sanctionem sufficientem, praesertim non, si non existeret altera vita. Ideo Hugon: Si interna sanctio sufficeret, cur tunc imponitur paena?

Corollarium 5: — Quoad argumentum «ETHNOLOGICUM»:

Adversarii dicunt, hoc argumentum nihil valere. Afferre solent exemplum Budhistarum, secundum quos non

existeret altera vita. — Resp.: Verum est, «Nirwana» proxime significare exstinctionem vel annihilationem omnis vitae cognoscitivae. Nirvana accuratius dicitur nec desiderium neque conscientia ulla, neque vita, neque mors, sed status, quo non jam adesset migratio animarum ex mente illorum. Posteriori autem tempore Nirwana concipi solebat ut «beatitudo» quaedam. Hinc consensus Buddhistarum in neganda altera vita, nullo modo existit. — NB: — Finaliter non posuimus argumentum ethnologicum tamquam argumentum absolute peremptorium, sed tt. ut confirmationem, licet optimam. (cf. etiam Cathrein in sua Ethica.)

THESIS XLIX. Beatitudo animarum justarum erit aeterna; — Porro: Poena aeterna nullo modo pugnat contra rationem.

ST. Q.: A. Nexus: — In Thesi XLVIII. probavimus, animam humanam necessario esse immortalem, et quidem immortalitate naturali. — Nunc oritur quaestio haec: Eritne status idem relate ad omnes animas separatas, an non? Resp.: In I.ª parte probabitur, beatitudinem animarum justarum esse perfectam et aeternam; — in II.ª parte probabitur, poenam aeternam non repugnare. — Quoad I.ªm partem nemo serio dubitat, saltem, si admiserit Thesim praecedentem. Aliter se habet relate ad II.ªm partem. — Quoad poenam oritur nunc

B. Duplex quaestio: — scilicet q. facti et possibil.:

1) — QUAESTIO «**Facti**»: — Estne verum, estne factum certissimum, DEUM peccatorem aeterne punire? — Resp.: — a) Hoc esse factum certissimum, certissime constat ex Revelatione Divina. — Sed b) Forte hoc etiam constat ex ratione, i. e. ex argumentis philosophicis? — Resp.: — Alii negant, alii affirmant. — Quid dicimus nos? — Resp.: — Simpliciter abstrahimus a tali quaestione. (Alia cf. in Corollario).

2) — QUAESTIO «**Possibilitatis**»: — I. e.: Possumusne PHILOSOPHICE probare, poenam aeternam esse saltem possibilem? — Vel forte pugnat contra rectam ratio-

nem, si DEUS aeterne puniret peccatorem? — Resp.: — Evidenter DEUS **potest** aeterne punire; — Hoc requiritur et sufficit, ut sanctio negativa de facto sit perfecta et efficax. — (utrum de **facto** DEUS faciat, haec est alia quaestio, quae certissime solvi non videtur, nisi in Theologia. Sed abstrahitur hic de hoc;)

C. Adversarii: — Sunt praesertim Rationalistae, qui dicunt, nos Catholicos contradicere ipsi sanae rationi, quia credimus aeternitatem poenae inferni.

D. NOS: — Contra illos ponimus thesim, praesertim partem secundam, in qua probatur, talem poenam non contradicere rationi, ideoque DEUM peccatorem aeternis supliciis punire posse.

Pars I. Beatitudo animae justae est aeterna:

Arg. 1. Hoc clare sequitur ex DESIDERIO FELICITATIS vel BEATITUDINIS PERFECTAE. — Nam, 1) Tali desiderio non impleto, homo esset pessimae conditionis , uti jam demonstravimus in Thesi XLVIII. — 2) Ipse DEUS contradiceret infinitae SAPIENTIAE suae, dando tale desiderium, quin illud implere vellet; — 3) Contradiceret etiam suae infinitae BONITATI; — item et infinitae VERACITATI; — Nam una ex parte infunderet tale desiderium, altera ex parte non corresponderet. — ATQUI: Tales contradictiones nequidem cogitari possunt (serio) sine gravi offensione et injuria contra DEUM, utpote SAPIENTISSIMUM, FIDELISSIMUM et infinite BONUM. ERGO: — Dicendum est, beatitudinem esse aeternam.

Arg. 2. Secus nulla esset Sanctio POSITIVA perfecta. ATQUI Sanctio (sive positiva, sive negativa) debet esse perfecta, (quia secus ordo vel lex moralis esset ineffi-cax). — ERGO: — Beatitudo debet esse aeterna.

Pars II. Aeternitas poenae rationi non contradicit:

Arg. 1. Secus ipsa Sanctio negativa non esset perfecta. (cf. Thesis XXVI. ex Ethica.)

Arg. 2. Manente culpa, potest jure merito manere poena. — ATQUI: — Ex se culpa semper manet; — ERGO: Ipsa poena etiam manere potest, sine ulla injuria.

Ad min: Utique, DEUS potest culpam et consequenter poenam condonare; — sed nullo modo obligatur ad hoc. OBIECTIO: — Si peccator facit poenitentiam, tunc DEUS videtur necessitari ad veniam concedendam? — Resp: — 1) Nego suppositionem, hominem sese ullo modo convertere posse sine gratia DEI. — 2) — Etsi hoc posset ex se (quod tamen negandum est), tunc saltem numquam posset EX SE IPSO praestare satisfactionem, et sic iterum nulla obligatio ex parte DEI ad veniam concedendam.

Nota: Utique, ex Revelatione scimus, DEUM (hac in vita) semper promptum esse, ad veniam dandam, sed ex pura MISERICORDIA et LIBERALITATE; — (cf. Tractatus Dogmaticus.)

Arg. 3. DIGNITAS persomae offensae in nostro casu est infinita. — ATQUI: — Tunc etiam malitia peccati gravis est «terminative» infinita. — ERGO: — Tunc etiam poena terminative infinita, i. e. sempiterna non repugnat.

Ad min: — OBIECTIO: — Tunc opus naturaliter bonum aeque bene est «terminative» infinitum et sic sufficeret ad peccatum grave expiandum? — Resp.: — Nego, quia non adest paritas. Nam: Quo maior est distantia inter offendentem et personam offensam, eo maior erit injuria; — e contra: — quo maior est distantia inter personam amantem et personam amatam, eo minus erit per se ipsum meritum. — E contra: — Quo minor distantia inter personam amantem et amatam, eo excellentior erit actus amoris. (NB: Praecise propterea amor Domini nostri JESU Christi, etiam secundum naturam Humanam, est infiniti valoris, propter «UNIONEM HYPOSTATICAM» cum VERBO DIVINO.)

Corollarium 1: — CONSPECTUS BREVISSIMUS ARGUMENTORUM:

Pars I. Arg. 1. Constat ex «desiderio» felicitatis. — **Arg. 2.** Constat ex necessitate sanctionis positivae. **Pars II. Arg. 1.** Iterum constat ex sanctione. — **Arg. 2.** Quia culpa

semper manet ex se, nisi DEUS ex sua misericordia aliter disponeret. — **Arg. 3.** Quia malitia peccati gravis est «terminative» infinita.

Corollarium 2: — Uti jam diximus in St. Q., debemus bene distinguere inter «Factum» et «Possibilitatem» poenae aeternae. — Nos in tota PARTE II.ª agimus unice et exclusive de «possibilitate». Dicimus, DEUM «posse» aeterne punire ,sine ulla difficultate. — DEUM «de facto» ita punire peccatorem impoenitatem et obstinatum, hoc tt. ex Revelatione Divina scimus. — Difficile erit, probare ipsum «factum» ex mera ratione. — Ipse Divus Leonardus Lessius aeternitatem poenarum inter Myteria Fidei «stricte» dicta enumerat. — Idem affirmant Gutberlet, Kleutgen et alii auctores eminentes. — Ideo, contenti sumus, si hac in re ipsam meram «possibilitatem» poenae aeternae demonstramus. — OBIECTO: — Sed sola et mera possibilitas alicuius paenae aeternae non videtur sufficere? Resp.: Omnino sufficit. — V. gr.: — Aliquis versatur in gravissima tentatione. Debet rationabiliter ita cogitare: «Si ego nunc peccavero, DEUS statim me potest occidere, et tunc statim caderem in infernum; ergo, melius non faciam hoc opus malum, non obstante gravissima tentatione.» — Quid habemus? Resp.: Ego «possum» cadere in infernum, statim post peccatum commissum; rationabiliter nolo peccare. — Ergo, SOLA sed vera possibilitas cadendi in infernum aeternum est de facto vera et perfecta sanctio negativa, i. e. talis, quae ex se et «PER SE» EFFICACITER omnem hominem vere rationabilem impellere valet, ad peccatum vitandum. — (Utique, haec sanctio adhuc crescit quoad valorem efficacem, quia de facto (ope Revelationis supernaturalis) scimus, de facto existere poenam aeternam pro omni peccatore, morienti in statu peccati gravis.)

OBIECTIO: — Sed tunc idem valet quoad partem primam, scilicet quoad Beatitudinem? Tunc sufficit mera «possibilitas» felicitatis aeternae? Resp.: — Nullo modo, quia nulla est paritas. — Nam, si deficeret Beatitudo, tunc deficeret principium «AXIOLOGICUM», uti ostendimus in argumento. — E contra, deficiente poena, i. e., si DEUS ex pura Misericordia condonaverit poenam, tunc ex hoc

nihil sequeretur contra principium AXIOLOGICUM, et contra ullum aliud pr. metaphysicum. — INSTO: — Ipsum «factum» poenae aeternae evidenter probari potest, quia DEUS de facto «debet» aeterne punire peccatorem? (ita nonulli dicunt) — Resp.: Talis affirmatio non tantummodo esset ridicula, sed de facto contradicit ipsi Dogmati Catholico. — Nam, si DEUS **deberet** punire, quomodo tunc posset «ad libitum» dare gratiam, ut sic peccator sese converteret?

THESIS L. Rejicitur «parallelismus - psychophysicus» inter corpus et animam; est enim vera activitas mutua.

ST. Q.: — A. Ilustratio schematica (SENTENTIARUM ADVERSARIORUM:)

Fig. 1. : + . . . + . . . + . . . + . . . + . . . + = El. Materiale
o o o o o o = El. Spirit.

Fig. 2. : + . . . + . . . + . . . + . . . + . . . + = El. Material.
o . . . o . . . o . . . o . . . o . . . o . . . o = El. Spirit.

Fig. 3. : + . . . + . . . + . . . + . . . + . . . + = El. Material.
i . . . i . . . i . . . i . . . i . . . i = Energ. ignota
o o o o o o = El. Spiritual.

Fig. 4. : O . . . O . . . O . . . O . . . O . . . O = El. tt. Psych.

B. Explicatio: — Est aliquod factum notum, scilicet: Mutatio mere corporea mutationem psychicam secum ferre solet et vice-versa. — Sic v. gr. volitio arbitrio suo membra corporis movere potest... — Ergo: — Debet esse NEXUS MUTUUS «CAUSALIS» inter utramque partem, scilicet, inter animam et corpus. — Sed multi hoc negant. Sunt 4 diversae explicationes (praeter nostram, unice legitimam), i. e.:

1) — Parallelismus «**materialisticus**»: — (cf. Fig. 1) — Dicunt, causalitatem adesse in SOLA serie CORPORALI, i. e., elementa corporea sese invicem causaliter influere (per modum causae relate ad effectum), ex quibus phenomenis materialibus eo ipso provenirent phenomena psychica.

2) — Parallelismus «**dualisticus**»: — (vocatur etiam parallelismus «purissimus») — cf. (Fig. 2.) — Secundum hanc sententiam esset prorsus nullus nexus inter corpus et animam, neque nexus mutuus, neque unilateralis. — Uterque processus procederet modo suo independenter ab altero.

3) Parallelismus «**realistico-monisticus**»: — (cf. Fig. 3.) — Secundum hanc sententiam tota causalitas proveniret vel exerceretur unice ab aliqua «natura ignota».

4) — Parallelismus «**idealistico-monisticus**»: — (cf. Fig. 4.) — Sed bene notandum est, de facto non esse verum parallelismum, non obstante nomine. — Nam, secundum hanc sententiam in ordine reali et objectivo nihil existeret, nisi elementum psychicum; — elementum corporeum esset mera apparentia et non existeret, nisi in cognitione nostra.

C. NOS: — Sententia 1.ª et 4.ª = evidenter falsae. Nam, 1.ª pugnat contra principium causalitatis et 4.ª jam in Critica refutatur ut systema falsum. Ideo, refutatis ceteris duabus sententiis in parte I.ª, statuimus nostram sententiam in II.ª parte; — scilicet, esse relationem mutuam et causalem. — (cf. Figura 5.) —

Fig. 5. :

```
+ . . . + . . . + . . . + . . . + . . . +  = El. Materiale
:       :       :       :       :       :  = Nex. Causalis
o . . . o . . . o . . . o . . . o . . . o  = El. Spiritual.
```

Pars I. Refutantur falsi «parallelismi» psycho - physici:

Arg. 1. Aut admittitur (in tali suppositione) identitas serierum, aut non. — ATQUI: — In utroque casu sententia adversariorum repugnat. — ERGO: — Rejicienda est.

Ad min: 1) — Certo non est identitas, quia talis affirmatio defenderet absurdissimum et extremum «Materialis-

mum». 2) — Si non est identitas et tamen nulla mutua relatio, tunc deficeret principium rationis sufficientis. **Nota:** Quoad sententiam tertiam (Fig. 3,) dicendum est, adversarios sibi contradicere. Nam, illa «natura ignota» aut est spiritus, aut materia, aut tertium quid; — in toto casu adest in tali casu non tt. caúsalitas «homogenea», sed etiam «heterogenea», quam adversarius admittere non vult. Ergo, de facto sibi contradicit.

Arg. 2. Secundum sententiam adversariorum omnia opera eximia hominum (artes, scientiae, etc) essent mera opera vel producta ipsius cursus fortuiti atomorum vel molecularum. — ATQUI: — Hoc evidenter est adsurdum. ERGO:

Arg. 3. Secus anima esset tt. aliqua pluralitas vel aggregatio phenomenorum et non vera substantia permanens. — ATQUI: — Hoc iterum est falsum. (cf. Thesis XLIII., ubi clare probatur, animam esse substratum permanens et substantiale actuum psychicorum nostrorum.) — ERGO:

Arg. 4. Sententia adversariorum pugnat contra «unitatem» conscientiae. — ERGO:

Pars II. Est vera causalitas mutua inter corpus et animam: (cf. Thesis VII.)

Arg. 1. Adversarii dicunt, effectum materialem tt. ex causa materiali, et effectum psychicum tt. ex causa psych. provenire posse. — ATQUI: — Hoc est falsum, saltem eo sensu, quo affirmant adversarii. — ERGO: — Eligenda est sent. nost.

Ad min: Utique, verum est, elementum materiale et corporeum non posse esse causam «adaequatam» effectus psychici. Utique, hoc esset contra principium causalitatis. —Sed ex hoc non sequitur, el. materiale non posse esse causam partialem, ubi agitur de effectibus psychicis sensitivis et vegetativis. — Porro: — A fortiori el. psychicum potest influere in partem corpoream, (et quidem ratione illius unionis substantialis). Nam, experientia clare constat, voluntatem meam sponte movere posse membra corporis.

OBIECTIO: — Sed causalitas «homogenea» est aliqua lex vere universalis? (i. e. influxus causalis non exerceri potest nisi inter elementa eiusdem generis)? Resp.: Nullo modo. — Certo, hoc non valet in ordine psychico. — Sed nequidem de ordine mere «physico» valet modo adsoluto.

Arg. 2. Implicite et eo ipso sequitur ex parte I.ª. — Nam non remanet alia solutio rationabilis. Et nostra solutio optime concordat cum omnibus legibus et metaphysicis et physicis. — ERGO: — Est sententia omnino legitima.

Corollarium: — OBIECTIO: — Sed Summa energiae in toto mundo est semper aequalis secundum Physicam modernam? Resp.: 1) Hoc iterum certo non valet in ordine psychico; — Nam, si v. gr. video obiectum aliquod, tunc evidenter augetur eo ipso energia psychica, manente eadem energia physica, i. e. mere corporea. — Deinde, quis tandem aliquando vellet mederi energiam volitivam? — 2) Et si forte non ita esset, tamen manet verum, animam saltem «dirigere» energias corporales. Ideo, praeter illam energiam ipsi corpori propriam existit adhuc alia, etiamsi tt. directiva — ERGO: — Optime solvi possunt illae difficult.

THESIS LI. Anima humana est forma substantialis corporis, cui non quidem esse corporeum, sed omne esse vivum confert.

ST. Q.: A. Conceptus: — FORMA SUBSTANTIALIS est illud, quod alteri quodammodo communicat suum proprium esse altius, i. e. «informando» et actuando» illud aliud, quocum ita constituat «unum» tertium totale et substantiale.

B. Aversarii: — Tantumodo unionem «ACCIDENTALEM» admittere volunt. — (cf. Plato, Cartesius, Euler, etc)

1) — Plato: — dicit, animam nostram tt. uti corpore tamquam aliquo instrumento. — (cf. sicut nauta utitur navigio)

2) — Certesius: — dicit, animam tangere corpus in aliqua parte speciali cerebri, scilicet in «glande pienali» et sic mutuum influxum oriri inter corpus et animam.

3) — Euler: — Ita exponit suam sententiam: — «1) Corpus et anima compenetrantur secundum locum. 2) Sese invicem exigunt in operatione. 3) Virtutem mutuo applicant. 4) Miscentur aliquo modo secundum vires vel energias suas. — Breviter: anima agit in ipsum corpus et sic corpus movetur; — et corpus ex sua parte determinat animam ad obiectum, quod ultimum ab anima sola percipitur.» (ita Euler et alii).

C. NOS: — (cf. Aristoteles, Scholastici, etc.) Anima est vera forma substantialis corporis; i. e. illud informat, actuat, communicat quodammodo suum esse vivum, ideo dat esse altius. — Sed **non** dat esse «corporeum», i. e. unitur cum materia jam organizata. (et non cum materia «prima», uti falso putarunt Scholastici veteres).

NOTA: — 1) Anima est realiter distincta a corpore. 2) Est F. per se, et non per aliquod accidens. 3) Est F. «essentialiter», i. e. per suam essentiam. 4) Immediate et non mediate.

Pars I. Anima rationalis est forma substantialis corporis:

Argumentum: Anima rationalis est forma substantialis corporis: — 1) Si actio vel operatio characteristica totius compositi est specifice diversa ab operatione solius corporis et solius animae; — ideo 2) si fit aliqua nova natura per illam unionem; — 3) si in illa unione anima est principium «formale» i. e. principium «determinans» corpus, i. e. dans ei esse altius. — ATQUI: — Haec omina verificantur in nostro casu. — ERGO: — Anima est «F.» corp.

Ad min: — 1) — ACTIO CHARACTERISTICA TOTIUS COMPOSITI EST SPECIFICE DIVERSA AB OPERATIONE SOLIUS CORPORIS, VEL SOLIUS ANIMAAE: — a) Differt ab operatione **solius corporis:** — Nam, Vegetatio et Sensatio, utpote operationes ipsius compositi, nullo modo inveniuntur in solo corpore mortuo; — immo b)

neque inveniuntur in **sola anima** post mortem. Ideo specifice differunt et a sola actione chimica (corporis mortui) et ab illa pura intellectione (animae separatae) — **Breviter** aliis verbis: — Intellectio pura est operatio characteristica animae separatae; — et pura activitas chimica et physica est operatio characteristica ipsius corporis anorganici; — atqui: — ab utraque operatione sensatio et vegetatio (utpote operationes totius compositi) specifice differunt. ERGO:. . .

2) — FIT UNA NOVA NATURA: — (i. e. per illam unionem) Hoc probatur ex «CONSCIENTIA INTERNA»; — nam: — Sentio, totum meum corpus, cum omnibus suis partibus et functionibus pertinere ad illud idem «EGO» (non per identitatem, uti patet, sed tt. per unionem), quod modo sentit, modo audit, modo videt, modo intelligit, modo vult, etc. — Atqui: hoc explicari non posset, si non constitueretur una natura tertia et communis per illam unionem. — ERGO:. . .

3) — In et per illam unionem ANIMA CORPORI DAT ESSE ALTIUS: — a) sequitur ex (1); quia dat esse vegetativum et esse sensitivum ipsi corpori; (utique; — esse intellectivum ei non communicat) — b) imo: In unione et per unionem cum anima ipsi processus chimici et physici fiunt quodammodo «vitales», ideo vocantur «physiologici»; vel organici «per accidens».

CONCLUSIO: — ERGO: — Anima est vera forma subst. corporis.

Pars II. Anima non dat esse «corporeum», sed tt. esse altius, i. e. esse «vivum»:

(I. e.: non unitur cum Ml. sed cum materia jam organizata.

Arg. 1. (Ex factis scientifice certis)

Post mortem omnes proprietates chimico-physicae remanent eodem modo uti antea sine notabili differentia.

ATQUI: — Tunc cogitari nequit, animam materiae non tt. dare esse altius, sed etiam esse corporeum simpliciter, cum omnibus suis proprietatibus substantialibus et

accidentalibus. — ERGO: — Dicendum est, eam dare tt. esse vivum.

Arg. 2. Nullo modo probari, nequidem intelligi potest illa forma «cadaverica». — ERGO:...

Arg. 3. Ex Biologia moderna scimus, principium vitale vel animam uniri cum materia jam «organizata», cum certa et determinata structura, ideoque bene adaptata ad ipsum principium vitale. — ERGO:...

Corollarium 1: — (relate ad partem I.) — Diabolus etiam posset movere corpus humanum; — sed talis motio numquam vocari posset motio vitalis, neque sensu stricto, neque sensu latiori, quia in tali casu nulla est unio substantialis, sed tt. unio accidentalis, et extrinseca.

Corollarium 2: — (relate ad partem II.) — V. gr.: moveo librum vel aliud obiectum mediante brachio meo; Nunc, 1) motio ipsius libri vel obiecti externi est actio mere mechanica et nullo modo vocari posset «vitalis». 2) Sed motio ipsius brachii (quamvis sit in se mera actio mechanica) recte vocari potest et debet actio «vitalis», quia directe provenit a principio vivo, et in eodem manet. — Porro, claritatis causa, addere volumus aliquem conspectum relate ad operationes diversissimas in homine:

1) — operationes **chimico-physicae:** — (convenit corpori **mortuo** et toti composito).

2) — **Vegetatio** et **sensatio:** — (convenit toti et soli composito).

3) — **Intellectio:** — (convenit ipsi composito, sed etiam ipsi animae separatae).

IDEO: — Operationes characteristicae ipsius compositi humani substantialis sunt: — 1) sensatio; — 2) vegetatio; — 3) intellectio, sed tt. inquantum dependet a phantasmate. — Nam in altera vita operatio intellectiva non jam dependet a sensatione, sicut in statu unionis.

Corollarium 3: — Haec unio inter corpus et animam est nobilissimum signum Sapientiae Divinae. — Anima habet inclinationem naturalem ad corpus informandum. —

Undenam haec inclinatio? — Resp.: — provenit ex imperfectione quadam ipsius spiritus humani, qui est infimus in serie spirituum. Ergo: unio non tt. est in bonum corporis, sed etiam animae.

THESIS LII. Per unionem substantialem homo efficitur una substantia et una persona.

ST. Q.: I. Substantia: — Est id, cui competit esse in se et non in alio, ut in subiecto. (ideo recte vocatur «INSEITAS». — Postest esse: vel 1) Completa, («TOTUM») vel 2) Incompleta, (= pars totius.) — NB: — Dicimus in Thesi, hominem esse substantiam completam.

ADVERSARII: — Sunt praesertim illi, qui defendunt aliquem parallelismum illegitimum inter functiones psychicas et corporeas. (cf. Thesis L.) — Adversarii huius thesis sunt etiam Plato, Cartesius, Euler, etc. et omnes illi, qui negant animam esse veram formam substantialem corporis. — Porro: Adversarius specialis est ipse **Palmieri,** qui negat, tali unione hominem effici unam substantiam, quia putat, secus non servari posse substantialitatem ipsius animae solius et separatae. — (NOS: — Hoc non negatur, tt. negatur, animam esse substantiam completam.)

II. Persona: — Est «SUPPOSITUM» RATIONALE — i. e.: Substantia singularis, completa, tota in se subsistens, rationalis. — EXPLICO: — 1) Susbstantia: — (cf. supra) 2) Singularis i. e. non universalis; — 3) Completa: — i. e. non tt. pars aliqua substantialis. — 4) In se subsistens, et non in alio uti v. gr. Natura humana in Christo, quae subsistit in VERBO DIVINO. — 5) Rationalis: — i. e., in oppositione ad supposita irrationala, uti v. gr. sunt animalia bruta.

ADVERSARIUS: — Cartesius, secundum quem sola anima rationalis esset ipsa persona. Ipse ita affirmat, quia putat, ad ipsum «EGO» solas «affectiones» animae referri debere. — NOS: — Homo est una substantia et una persona.

Pars I. Homo est una substantia:

Argumentum: In homine est una sola NATURA. — ATQUI: — In ente quod «per se» stat, natura et substantia sunt unum idemque. — ERGO: — Homo est una sola substantia completa.

Ad maj.: Nam, dolente anima, aeque bene et eo ipso dolet etiam corpus et vice-versa. — (cf. Thesis LI. Pars I.ª)

Pars II. Homo est una persona:

Arg. 1. Idem «EGO» sentit, crescit, intelligit, vult... ERGO:

Arg. 2. Persona est substantia completa, singularis, in se subsistens et rationalis. — ATQUI: — Haec omnia simul sumpta valent: neque de solo corpore, neque de sola anima, sed tt. de utroque elemento simul. — ERGO: — H = una pers.

Corollarium: Loquendo sensu stricto, debemus dicere, «INTEGRITATEM» non necessario pertinere ad definitionem suppositi, ideoque non ad definitionem vel conceptum «personalitatis». — Ideoque anima, quamvis sit substantia incompleta, est tamen vera persona; — et quidem evidenter, quia secus non posset vocari «to ego». — Attamen non est persona, nisi aliquo sensu incompleto, praecise, cum sit substantia tt. incompleta. — (NB: — P. Frick propterea vocat animam personam «sensu latiori». — Sed forte melius vocatur persona «sensu stricto, sed modo incompleto»?)

Scholion: ANIMA RATIONALIS EST TOTA IN TOTO, (CORPORE) ET TOTA IN SINGULIS PARTIBUS CORPORIS:

Ideo: — 1) Simplicitas animae non debet ita intelligi, uti v. gr. Cartesius putavit, secundum quem anima resideret in aliqua parte cerebrali, scilicet in «glande pineali». — Neque residet in «corpore calloso», uti Lotze affirmat, neque in aliquo «ventriculo cerebrali», sicut dixerunt Arabes. — 2) Sed anima est in toto corpore, non obstante

sua simplicitate integrali et essentiali; — est in corpore non circumscriptive, sed definitive. Breviter: — est tota in toto, et tota in singulis partibus. Ideo, vocari potest «virtualiter» extensa, sed non «formaliter». — Porro; — haec praesentia animae in toto corpore requiritur, secus non totum corpus informaretur ab anima, et sic deficeret unio substantialis. — 3) Sed bene notandum est, haec valere de essentia animae, non vero de omnibus eius facultatibus. Nam facultates sensitivae et vegetativae sunt «organicae» i. e. efficiuntr ab anima et a corpore, ideoque eliciuntur in certis partibus determinatis. — Facultates intellectuales efficiuntur a sola anima. — Nihilominus, non possumus dicere, hominem cogitare in pede vel in brachio, vel in manibus, etc., quamvis tota anima sit in toto corpore et tota in omnibus et singulis partibus. Sed recte dicitur, hominem cogitare «cum cerebro»; — cur? — quia anima in suis operationibus a cerebro dependet, non quidem intrinsece, (uti patet), sed tamen extrinsece.

Obiectiones: — 1) Si anima est in qualibet parte corporis, tunc crescente corpore anima etiam deberet crescere. Atqui: — Anima, utpote simplex evidenter crescere nequit. — Ergo dicendum erit, animam non esse in toto corpore? Resp.: Haec difficultas facile solvitur, scilicet: Anima propterea non debet crescere (quia nec potest), sed simpliciter suam «informationem» ad novas ubicationes extendit. — 2) Manu abscissa, ibi corrumpitur anima? — Nullo modo. TT. desinit informare illam partem abscissam. (Suaresius).

EPILOGUS.

His verbis absolvimus tractatum de Psychologia-Speculativa. Vidimus clare, hominem esse ens plane sui generis. Prorsus et essentialiter superat omnia alia entia creata huius mundi visibilis, quantumvis perfecta in suis singulis ordinibus. — Est enim non ens mere sensitivum et vegetativum, sicut multi moderni affirmare solent; — Est «Unum totale et substantiale et personale», resultans ex illa mirabili unione substantiali corpus inter et animam. — Proinde homo, utpote ens non solum materiale, sed etiam et praesertim spirituale et intellectuale, gaudet jam naturaliter speciali similitudine cum DEO, uti passim Sanctus Augustinus aliique Sansti Patres inculcant. Ex tali praerogativa sequitur altera ex parte specialis obligatio glorificandi DEUM; — et quidem modo speciali. Utique, «Caeli et terrae enarrant Gloriam DEI», testante Psalmista; — proinde nullum existit ens, neque in Coelo, neque in terra, quin glorificet DEUM, saltem per suam existentiam. Nam, quodlibet ens creatum, per solam suam existentiam jam nobis aliquid enarrat de infinita DEI EXCELLENTIA, de EIUS infinita BONITATE et SAPIENTIA et AMORE. — Huic Gloriae DEI externae OBIECTIVAE homo adhuc debet addere Gloriam DEI externam «FORMALEM», cognoscendo et agnoscendo eandem infinitam DEI EXCELLENTIAM, sive consideretur in se, sive in eius manifestatione ad extra. En, Scopus totius vitae nostrae humanae, proindeque omnis et cuiuscumque actionis et operationis nostrae, sive sit intellectiva, sive sit sensitiva, sive sit vegetativa. — En, etiam Scopus

totius Psychologiae humanae, tum theoreticae, tum practicae, scilicet, ut homo diligat DEUM et DOMINUM suum, ex toto corde, ex tota anima et ex omnibus viribus suis, ad imitationem et in honorem ILLIUS, QUI EST

«MEDIATOR DEI ET HOMINUM»,

«HOMO CHRISTUS JESUS».

— (1. Tim. II. 5.) —

— AVE MARIA. —

INDEX THESIUM

I Animalia bruta facultate sentiendi praedita sunt. 5

II Plantae sensibilitate carent 8

III Animalia bruta, saltem perfectiora, praedita sunt sensibus internis, scilicet: S. COMMUNI, PHANTASIA, INSTINCTU et MEMORIA SENSITIVA 9

IV Instinctus brutorum explicatur per species vel associationes cum impulsu exsequendi opus.. 11

V Animalia bruta intellectu carent 13

VI Anima sensitiva essentialiter superat materiam brutam. 16

VII Sensatio est effectus totius compositi 17

VIII Una sola anima est in singulis brutis, ex qua vita et vegetativa et sensitiva fluit. 18

IX Anima sensitiva est substantia incomp. non in se subsistens. 19

X Anima brutorum, saltem perfectiorum, est integraliter simplex. 21

XI Species impressa est causa partialis sensationis; — haec non est mera passio, sed vera actio immanens. 22

XII Sensatio non est medium "quod", neque medium "quo", sed medium "in quo" directe percipitur et O. et imago. 24

XIII Experientiae magis conformis est, quod cerebrum sit sedes sensationis externae pro homine. 26

XIV Facultas, qua animal percipit sensationes ut suas, non est facultas propria et specialis. ... 29

XV Admitti debet *sensus communis*, ratione cuius animal discernit inter sensibilia eademque colligit eidemque obiecto externo attribuit. 30

XVI Operatio phantasiae fit per species rememorativas, quae sunt qualitates totius compositi... 31

XVII Etiam homini convenit instinctus, tam quoad affectiones, tam quoad apprehensiones; tamen negamus, instinctum proprie discurrere. 33

XVIII Datur vera memoria sensitiva. 35

XIX In homine superficies jam e nativitate, 3.ª autem dimensio non nisi per experientiam percipi potest. 35

XX Localisatio in qualib et sensatione, etiam quoad corpus proprium, fit secundum easdem leges "associationis". 38

XXI Ad vitam sensitivam, praeter cognitionem pertinet etiam "appetitio" et "affectio" ut operationes organicae. 39

XXII Appetitio et affectio specifere differunt a qualibet cognitione, imo et inter se. 42

XXIII Motus "spontaneus" formaliter reducitur ad leges associationis, ideoque non est facultas specialis. 45

XXIV Habitus sensitivus non est nova qualitas facultati inhaerens, sed reducitur ad associationem inter species rememorativas, secundum leges communes. 47

XXV Intellectus est facultas cognoscitiva, quae essentialiter superat sensum. 51

XXVI Intellectus ideas primitivas non ex se, sed per se omnes ex sensatione haurit. 55

XXVII Intellectus noster cognoscit singularia et materialia per proprios conceptus, immediate et directe, utique, initio modo confuso. 57

XXVIII Obiectum adaequatum intellectus nostri est ens in tota sua latitudine; obiectum proprium hac in vita sunt sensibilia. 58

XXIX Judicium non est apprehensio comparativa, sed actus proprius eam sequens; neque est actus voluntatis, sed formaliter actus ipsius intellectus. 61

XXX Lingua conceptualis, quamvis utilissima, tamen non est necess. ad omn.. cognitionem acquirendam, ideo rejicitur "TRADICIONALISMUS"... 64

XXXI Rejicitur "Ontologismus". 66

XXXII Existit species intelligibilis impressa, quae intellectum determinat ad actualem intellectionem. 68

XXXIII Speciem impressam intelligibilem efficiunt intellectus agens ut causa principalis, et phantasma ut c. instrumentalis. 70

XXXIV Species intelligibilis expressa, i. e. VERBUM mentis, est medium "in quo" cognoscitur obiectum. 73

XXXV	Exisitit in homine appetitio (voluntas) et affectio intrinsece rationalis.	75
XXXVI	Obiectum voluntatis humanae non est nisi bonum et quidem ipsi appetenti conveniens, saltem aliquo modo.	84
XXXVII	Volitio cogi nequit; necessitatur quoad beatitudinem non necessitate exercitii, sed specificationis.	89
XXXVIII	Libertas probatur ex testimonio conscientiae. (*Arg. Psych.*)	93
XXXIX	Libertas probatur ex existentia ordinis moralis. (*Arg. Morale.*)	96
XL	Libertas probatur ex Judicio indifferenti. (*Arg. Metaphysicum.*)	100
XLI	Imperium intellectus non necessario ad omnem volitionem liberam efficaciter determinat.	103
XLII	Voluntas non necessario eligit bonum melius.	104
XLIII	Anima humana, utpote substratum permanens actuum psychicorum, est vera sustantia.	105
XLIV	Anima humana est integraliter et essentialiter simplex.	108
XLV	Anima humana est spiritualis vel intellectualis, ideoque intrinsece independens a materia.	111
XLVI	Unica est in homine anima, principium omnis vitae (i. e. rational. sens. veg.)	114
XLVII	Anima humana non oritur emanatione, neque generatione, sed immediate a DEO creari debet.	118
XLVIII	Anima humana est immortalis.	121
XLIX	Beatitudo animarum justarum est aeterna; — poena aeterna nullo modo pugnat contra rationem.	129
L	Excluditur falsus Parallelismus Psycho-physicus inter corpus et animam; — est enim vera activitas mutua.	133
LI	Anima humana est vera forma substantialis corporis, cui non quidem esse corporeum, sed omne esse vivum confert.	136
LII	Per unionem substantialem inter corpus et animam homo constituitur una substantia et una persona.	140
	EPILOGUS	143

— IHS —

— AVE MARIA. —